
SIC LÆTA QVIESCO

SYMBOLAE
LITTERARIAE
QVAE EXHIBENT
FLORILEGIVM
VOLVMINIS VI.
NOCTIVM
CORYTHANARVM
ET
OPVSCVLA VARIA
Nunc primum in lucem edita
VOLVMEN OCTAVVM




FLORENTIAE. A. CIϽ. IϽ. CC. LI.

EX TYPOGRAPH. IO. PAVLLI IOANNELLI
Societatis Columbariae Flor. Typographi
PRAESIDVM PERMISSV

VIRO AMPLISSIMO
ALEXANDRO MARCHIONI
VICTORIO
EQVITI MILIT. ORD. S. STEPH. P. ET M.
EGREGIO . PRVDENTI . MAGNANIMO
PATRICIO ROMANO
AB ORIGINE VERO
INTER PROCERES ET PATRICIOS
FLORENTINOS NON MAIORVM TANTVM
CLARITATE SED ET VIRTVTVM SVARVM
SPLENDORE DIGNITATE NOMINIS
AC LAVDIBVS ORNATISSIMO
VRBIS AETERNAE ITERVM ET TERT.
CONSERVATORI . QVEIS CVRIS ALIISQVE
PVBLICIS AC PRIVATIS MVNERIBVS
NON SEMEL SVMMA FIDE PRVDENTIA
PROBITATE SOLLICITVDINE FVNCTVS EST

QVOD ETIAM
PRAECLARIS EXEMPLIS PRAESTANTISSIMI
DOCTISSIMIQVE PETRI VICTORII SENATORIS
FLORENTINI ATAVI SVI QVI AMPLIFICATIS
GRAECIS LATINISQVE LITTERIS
VRBEM SVMMA GLORIA
REMPVBLICAM LITTERARIAM
MAXIMIS MERITIS ORNAVIT
INSITVM IN NOBILISSIMA GENTE SVA
ERGA INGENVAS ARTES ET VIROS
DOCTOS CVLTVM FAVOREM
BENEVOLENTIAM SEMPER TESTATVS SIT
FAVTORI EGREGIO MVNIFICO
TITVLISQVE OMNIBVS COMMENDATISSIMO
DE LITTERIS DEQVE ITALICIS ACADEMIIS
QVIBVS ADSCRIPTVS EST OPTIME MERITO
ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS
PERENNE GRATI ANIMI MONIMENTVM
D. D.



PROOEMIVM AD FLORILEGIVM VOL. VI. NOCT. CORYTHANARVM

ADlegeram & alterum hunc Typographum, ut ocius fieri quantum poterat, prodiret hoc meum FLORILEGIVM NOCTIVM CORYTHANARVM, *quod rure, vernis feriis elapsi Anni Sacri, summa animi voluptate confeceram. Sed id quod valde cupiebam, eo, quo mihi proposueram tempore, minime adsecutus sum; propter eas vicissitudines, quae quidquid valde optatur, & ma-*

gnopere placet, frequentius morari, vel etiam intercipere ſolent. Quoties igitur in hoc Volumine ſcriptum a me eſt hoc anno, id intelligendum velim vel de anno ipſo, quo ACADEMICI ETRVSCI CORTONENSES ſcribebant, vel de anno CIƆ. IƆ. CC. L. quo ipſe huiuſmodi Stromata litteraria concinnabam. Titulum hunc tamen praepoſui, nempe FLORILEGIVM; quia flores omnes eruditionis, qui in Corythanis Noctibus, patrio ſermone conſcriptis, veluti in areolis compluribus eleganter inſiti nullo cum ordine leguntur, decerpti a me ſunt, & in plures claſſes ſeu capita, quae mox numerantur, heic diſpoſiti habentur.

Sed quoniam in hiſce Capitibus, inferius enumeratis, non omnia notatu digna, quae excerpta ſunt, recenſentur, ſed praecipua brevibus titulis adtinguntur; non abs re viſum eſt peculiari quadam SYNOPSI ea in ipſo huiuſce Voluminis limine declarare, & non-

nul-

nulla etiam, quae in Praefatione adferuntur, summatim exponere. Ex his omnibus clarissime patebit, quantum conlata inter se studia eruditorum hominum iuvare optimas litteras possint. Concordia, mutuisque officiis aluntur bonae artes, & diutissime etiam florent vigentque; vel etiam cum ipsarum Vrbium aeternitate, perpetua gloria & commendatione clarescunt: discordia vero & ipsa bonarum artium studia statim in ipso ortu non tantum consenescunt, verumetiam labuntur, & ita intercidunt, ut vix Coetus illi Academici, qui torrentis more aquarum undique conlectarum brevi strepitu superbiebant, mox perpaucos post annos, vel etiam menses, memorentur. Nimius essem si ortum & interitum plurimarum Academiarum praesertim Italicarum memorare vellem, atque earum fata exponere, quae propter litteraria quaedam dissidia, vel ob nimiam Sociorum in rebus gerendis moderandisque ambi-


tionem, vel ob inanes gloriolas quasdam, & contentiones quamcitissime exstinctae sunt. ACADEMIA ETRVSCA CORTONENSIS ab ipsa sua origine, ortuque in dies mirum in modum ad summam gloriae celebritatem pervenit, & toto orbe clarissima est, Sociisque cum domesticis, tum externis magni nominis refertissima: nam Studiorum nostrorum omnium Genius ipse beneficus OPTIMI AVGVSTIQVE CAESARIS nostri fulgidissimum sidus est & ornamentum. Has ipsas laudes suis laboribus ac vigiliis litterariis sibi comparavit & Inclita SOCIETAS COLVMBARIA FLORENTINA, ab ipsa sua origine, Sociis doctis eo ferme modo ornatissima, mutuo foedere cum Cortonensi coniuncta; quae ita studia, & bonas artes amplificat, ut suo exemplo, atque auspiciis Colonias habeat hoc ipso tempore duas pernobiles COLVMBARIAS, ad optimas disciplinas, & Antiquitatis

mo-

monumenta tuenda, comparanda, atque inlustranda sedula cura vacantes, nempe PANORMITANAM, *&* LIBVRNENSEM, *quae ab hac ipsa optimorum studiorum parente, & propagatrice manarunt. Alteram* VIII-VIRI *inter Panormitanos inlustrissimi, ac litterariis lucubrationibus in lucem editis clarissimi, quum inter* SOCIOS COLVMBARIOS *plenis suffragiis adlecti essent, eam auspicatissime fundarunt, ingenii monimenta ipsis dedicarunt, selecta Siculi Regni fossilia, & mineralia, atque etiam antiqua non pauca numismata dono dederunt. Alteram hoc ipso anno, probantibus ac plaudentibus* COLVMBARIIS FLORENTINIS, *fundavit condiditque optimis auspiciis, adlectis Sociis Liburnensibus eruditione, ac probitate spectatissimis, Vir Praeclarissimus Philippus* VENVTVS, *Patricius Cortonensis, qui Liburnensi Ecclesiae Praepositus ab* IMPERATORE

CAESARE constitutus est: cuius merita in litterario orbe, ac praestantem doctrinam in omnium oculis clarissima luce fulgentem, nullis laudibus aequare possum. Frequenter inter se Liburnenses Columbi conveniunt, iisdemque institutis, & studiis utuntur, & ea quae observant notatu digna in Annalibus consignant. Eo doctissimo moderatore auspice, & studiis omnigenae eruditionis favente, sperandum est in eo Portu celeberrimo Minervam cum Mercurio stabili foedere iunctam magnum litteris, ac bonis artibus incrementum adlaturam. En igitur cum hisce perspicuis exemplis, tum etiam experimentis ipsis luculenter ostensum, quantum praesidii & lucis adferant ad colendas liberales facultates Litterariae SOCIETATES; quas vellem, ut in praecipuis non solum Etruriae, sed etiam Italiae Vrbibus ad fovendas atque amplificandas litteras, atque ad Vetustatis divitias e tenebris & squalore eruendas, feliciter


citer instituerentur. Ceterum, si quae erunt addenda huic FLORILEGIO, vel emendanda, ipsi ACADEMICI ETRVSCI eruditissimi interim communicare mecum poterunt, eaque suo loco mox adiicientur. Veniam quoque ab eorum humanitate me facile impetraturum spero, quibus sum benevolentia omnibusque officiis in perpetuum dicatissimus.



Epigraphe antiqui Vasculi marmorei Florentiae in Museo Mediceo-Imperiali.


INDEX
RERVM OMNIVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR

SYNO-



SYNOPSIS

peculiaris Memorabilium, quae in hoc Volumine aonotantur.



Rigo, & Epocha Institutionis Academiae Etruscae Cortonensis: eius Bibliotheca, Museum, Fautores, Incrementa. pag. VI. 2. & seqq.

Institutum Societatis Columbariae Florentinae, itemque eius institutionis, & studiorum Epocha. Eadem cum Etr. Academicis mutuo foedere iuncta. VIII. 6.

De Romanis Academiis, regnantibus Leone X. Vrbano VIII. & Benedicto XIV. Laudatur praesertim Basilidiana. De Academiis Neapolitanis 6. 7. 8. 9.

Epistola Academicorum Etruscorum Corto-
nen-

nensium ad A. F. Gorium Conlegam suum. Vetusti Codicis Bibliothecae Sellarianae pretium. 10.

Cippus antiquus dicatus Diis Manibus C. Tutilii Hostiliani, Philosophi Stoici Cortonensis. 12. 13.

Nobb. VICTORIORVM Villa, ad QVARTVM ab urbe Florentia lapidem, in qua hoc FLORILEGIVM concinnatum est. 9.

Notitia Codicis Diplomatici Sellariani. pag. 17.

LVCVMONVM Academiae Etruscae Cortonensis ab anno MDCCXXVI. ad annum MDCCL. Series, & Catalogus pag. 18. 19. 20.

De S. Margarita Cortonensi, Sanctorum Fastis solemni sacra Apotheosi adscripta a BENEDICTO XIII. P. M. anno MDCCXXVIII. die XVI. Maii. pag. 22. *ubi loco Pontificis Summi Clementis XI. alterum praelaudatum nomen reponendum.*

Clarorum Academicorum Etruscorum Opera edita in Actis laudata. 21. 22.

Gratiarum actio decreta Emin. Principi S. R. E. Card. Biblioth. ANGELO M. QVIRINO, Pont. Brixiensi, Fautori Optimo. 21. 26.

Vicennalia eiusdem Academiae Etruscae pri-

In-

Gem-

Gemmae antiquae selectiores, praesertim Heroicae, & Homericae insignis Dactyliothecae Stoschianae. 55. 56.

Vascula operosissima in Gemmis antiquis caelata. Diphili Gemmarii nomen ex eadem Stoschiana Dactyliotheca. 56. 57.

Triclinia in Gemmis antiquis eleganter sculpta; item Cena Triumphalis. 57.

Emblemata militaria, & Heroica arma in Gemmis sculpta. 59.

Diana Venatrix, Hyli *Opus, in Sardonyche scalpta.* 60. *Alterum Heii opus.*

Codices antiqui manu conscripti Academicis Etruscis ostensi describuntur 61. 62. *& seq.*

Epitaphium Clar. V. Dominici Hieronymi de Venutis. 62. & 70.

Clarorum Virorum lucubrationes Mathematicae, Astronomicae. 63. 64.

Cortonensium patria Iudicia, & politicae Constitutiones Reipublicae. 64. 65. 66.

Codicis Sellariani Opusculorum, quae in eo continentur, recensio 66. 67.

Atlas

Atlas Geographicus plane insignis Bibliothecae Stoschianae 68. 69.

Hieronymi Caphari Salernitani Opuscula Grammatica, & Epistolae. 69. 70.

—— Venuti litteris armisque clari. 69. 70.

—— Sellarianae Bibliothecae Codices. 71.

—— Eristica perrara Opuscula descripta. 72.

—— Examen & Iudicium Tabulae Itinerariae Peutingerianae 73.

Sigilla Centum obsignatoria ostensa Academicis Etruscis, inlustrata eruditis Observationibus a Cl. Sellario. 74.

Fundatio Ecclesiae Lucensis S. Georgii, eiusdemque Monasterii insigne Sigillum obsignatorium. 75. 76.

Reliquorum Sigillorum descriptio, quam adeat benevolus Lector a pag. 75. ad pag. 95.

Manniana Sigillorum obsignatoriorum Sylloge, quibus praesidiis in lucem edita. 94. 95.

CRVX Dominica e marmore pervetusta, emblematis insignis, quae Cortonae exstat, inlustrata. 96. 97.

S. Vin-

ni-

In

In eius Palatio, qui sequuntur, eius servitio addicti cum salariis, & honoribus.

Vicarius 126. *Gubernator & Conministrator*. 116. *Cancellarius*. 116. 131. *Agens*. 116. 120. *Procurator*. 117. 120. 129. 130. 132. *Presb. Cappellanus*. 124. *Doctor Medicus*. 124. 128. *eius stipendium*. 129. *Falconerius*. 125. *Oeconomus, Rationarius*. 125. *Cappellanus & Procurator*. 129. *Tibicen & Bannitor*. 127. 128. *Stipendiarius eiusdem Domini Vicarii Imperialis Cortonae*. 131.

Declaratio Nobilitatis facta a Domino Vguccio Vrbano de Casalibus 120. 125. 127 *exemtio ab eo data a solvenda impositione &c. iura & privilegia Civium*. 122. 135.

Quo honore susceptus Praetor Cortonae. 121.

Peregrinatio in Hispaniam ad S. Iacobum Apostolum. 123.

Domus S. Lazari de Bovarco Cortonae pro leprosis & tabe adfectis: eiusdem Domus Gubernator. 128.

Oblatio cerei in festo B. Margaritae ab Artibus Reip. Corton. 129. 130.

Corpora Artium Cortonensium notata. Ibid.

Con-

Notis

Ven.

Ven. V. Alberti Sartianensis Cortonam adventus. Civium cum B. Bernardino Senensi obcursus. 178. 179. 180.

Codicis Sellariani pretium; monumenta nunquam antea edita ex eo prolata, ac mox proferenda. 181. 182.

Epitaphia duo Historica; alterum in honorem Magni Nicolai de Acciaiolis; alterum Ioannis olim Papae XXIII. qui in Florentino Baptisterio in magnifico Conditorio sepultus est. 183.

Borsii Ducis Decretum, quo Fisco adiudicat bona Nicolosiae filiae Antonii de Nicolosiis, civis Regiensis, eaque transfert in dominium & usum Domini Simonis della Torricella Legum Doctoris Regiensis. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189.

Appendix Sigillorum obsignatoriorum Cortonensium, quibus integra Centuria Prima absolutissima redditur. 190. & *seqq.*

Postremo antiquae aliquot Inscriptiones, & sphalmata aliquot typographica emendantur.



ANT.



ANT. FRANCISCI GORII

ACADEMICI ETRVSCI

AD LECTOREM

PRAEFATIO





Rimum, in ipſo huiuſce mei Operis veſtibulo, BENEVOLVM LECTOREM admonere conſentaneum eſt, ut ſciat, quibus de cauſis, quave ratione FLORILEGIVM hoc Monumentorum omnigenae Eruditionis confecerim. Solent Inluſtres ACADEMIAE ETRVSCAE CORTONENSIS SOCII in fine cuiuslibet anni, NOCTIVM CORYTHANARVM abſolutum Volumen Florentiam mittere, ut alicuius

Socii cura ſplendide ornateque compactum tandem accipiant, & cum reliquis in ſua lectiſſima Bibliotheca recondant. Id de more ſtatim faciundum curavit V. C. Reginaldus SELLARIVS, Canonicus & Patricius Cortonenſis, Academicus Etruſcus & Columbarius, compactoque pereleganter Noctium Corythanarum Volumine VI. nuper Sociis Columbariis Florentinis, qui idem inſtitutum ab origine ſui ortus ſervant, finem anni XV. ſolemni ſtata die celebrantibus, illud ipſum Volumen oſtendit: quod & ego inter eos quum pervolutaſſem, ut ipſum per aliquot dies inter domeſticos parietes haberem, ac legerem, rogavi; qui ſtatim perhumaniter dedit, propoſuit, bonoque publico mecum communicavit. Quanta cum voluptate, ac ſuavitate animi huiuſmodi Codicem manu conſcriptum perlegerim, ac deguſtaverim, vix potis ſum, ut ſatis luculenter, & perſpicue exponam. Non ſemel eo perlecto, quum omnigenam eruditionis copiam continere viderem, reſque lectu, & obſervatu digniſſimas; rurſum dum illum pervolutarem, Indiculum Rerum adnotabilium mihi confeci; deinde oſtenſa, & expenſa in ſingulis Corythanis Noctibus Monumenta per Claſſes, & Capita digeſſi, quorum heic in fine Elenchum ſubiicio. Praeclarum & perutile hoc ſtudium conligendi, deſcribendi, atque obſervandi omnigenae Eruditionis Monumenta Academici Etruſci adripuerunt Kal. Ianuariis anni MDCCXLIV. atque exordium ſuis vigiliis ac lucubrationibus dedere in Bibliotheca praelaudati Socii Etruſci Reginaldi Sellarii, qui haſce

eru-

eruditas Curas, sive Conlationes a patriae splendidissimo nomine NOCTES CORYTHANAS adpellarunt, exemplo cum Veterum, tum Recentiorum; quod est omnibus exploratum. Singuli Academici quidquid in optimis Scriptoribus legerunt, observarunt, vel habent in suis, vel amicorum Cimeliis, eorumque Epistolis nuntiatum est (haud exceptis Novis toto orbe Litterariis, quae in lucem prodeunt) in ipsis Corythanis Noctibus, communi consilio, iudicio, & adprobatione congerunt, ac describunt; quod institutum tenent quoque Socii Columbarii Florentini iam a condita Academia, & Societate; qui iam in sua Bibliotheca Volumina XV. plena optimis multiplicis eruditionis frugibus, publico & ipsi Litteratorum hominum bono, servant, ac custodiunt. In alio Volumine congeruntur doctorum Sociorum, & Amicorum Epistolae, quae missae sunt, & cum his accepta per Epistolas responsa copulantur.

Volumen hoc Noctium Corythanarum Academiae Cortonensis celeberrimae, quod a me in epitomen sequenti ordine redactum nunc est, sextum perficit numerum. Prout datur occasio, Monumenta ostensa perspectaque in eo vernaculo sermone, nullo quidem servato ordine, describuntur. Vigiliae hae, seu noctes Corythanae dum ab Academicis aguntur, initium capiunt a lectione vel Ephemeridum, vel Novellarum Litterariarum, vel Epistolarum Amicorum. In principio cuiuslibet Noctis, nomina advenientium, & adsidentium Sociorum, eo servato ordine quo adsessere, scribuntur. Intersunt etiam quando-

que Corythanis Noctibus alii nobiles Cives Cortonenſes; & quandoque etiam Exteri, licet in eorum albo deſcripti non ſint. Deinde memorabilia, quae viſa, & expenſa ſunt, in eo Annali Volumine deſcribuntur. Quilibet Socius poteſt ea deſcribere; quod complures certatim ac perlubenter faciunt. Academicorum Coetus, praevia invitatione, nunc in his, nunc in illis Accademicorum Etruſcorum Aedibus, Muſeis, aut Bibliothecis adlegitur, & habetur bis in qualibet hebdomada, nempe quolibet die Martis, & Sabbati. Chartae Calchographicae, Tabulae, opuſcula minora, ectypa, delineationes, rariora quaeque vel reperta, vel dono data, vel miſſa in fine cuiuſlibet Voluminis, opportuno in loco, qui *Regeſtum* dicitur, adnectuntur; quae quum in antecedentibus paginis in ipſo Volumine in regia charta deſcripta ſint, facili negotio reperiuntur.

Praecipuum Academicorum Cortonenſium conſilium illud fuit, ut his congeſtis Monumentis, facilius aliquis ex eorum incluto Coetu cum ſacram, tum civilem Cortonenſis patriae Vrbis Hiſtoriam concinnare, & conſcribere aliquando poſſit; compluribus hoc modo ſublatis difficultatibus, propoſito cumulatoque tam uberrimo Rerum memorabilium adparatu, & non ſine magno labore expoſito, ac digeſto: quo quidem conſilio nil praeclarius, nil iucundius, nil utilius ad amplificandos etiam ſcientiarum, atque optimarum artium fines excogitari, & fieri potuit.

Iam, ab Acaademia Etruſca Cortonenſi condita, elapſi feliciter ſunt anni XXII. Vera enim

nim eius fundationis Epocha ſtatuenda eſt initio anni MDCCXXVIII. ut oſtendit Cl. I. C. Sellarius in eius Hiſtoria, quam ſcripſit. Ea primum Decennale continet, & *Tomus Primus* inſcribitur; merito dedicatus Inluſtri tunc Abbati Claracenſi, Philippo Venuto Patric. Cortonenſi, fama nominis, & doctrinae claro. Hoc Volumine publici iuris facto, emendari poterunt non pauci celebres Scriptores, qui in ſtatuenda Academiae Etruſcae Cortonenſis Epocha errarunt. In fine ſiquidem anni MDCCXXVI. multi nobiles & Eruditi Viri Cortonenſes ſocietatem iniere, ut optimos libros compararent, ſibique Bibliothecam inſtruerent, omnigenam eruditionem complectentem; pro qua quiſque ſe pecuniam conlaturum ſpopondit. Id ea mente fecerunt, ut una frequentius convenientes, eruditis ſermonibus ſe recrearent, & patriae gloriae conſulerent. Inita Societas uſque ad poſtremos dies anni MDCCXXVII. protracta eſt. Interim in unum collecti ſunt ſelecti Libri, variam eruditionem complectentes, bono commodoque Sociorum. Tunc praeclarus vir Abbas Honuphrius Baldellius, Patricius Cortonenſis, omni aevo cum laude memorandus, Muſeum ſuum & Bibliothecam Sociis perpetuo habendam ſtatim donavit. Tandem initio memorati anni MDCCXXVIII. ſolenni ritu, multoque cum plauſu, adcedente Magni Ducis Etruriae favore & praeſidio, apud quem rem ſtrenue egit Praeſtantiſſimus Philippus Bonarrotius, Senator Florentinus, firmiſſimis Sociorum legibus inſtructa, ETRVSCA ACADEMIA feliciter inſtituta eſt.

Elapſis annis octo, Florentiae quoque condita eſt Inluſtris SOCIETAS COLVMBARIA FLORENTINA, cuius Epocha ſtatuta eſt, rebus iam compoſitis, coactiſque in unum omnibus Sociis, Eidibus Maiis, anni MDCCXXV. de qua diſſerui in mea iam edita *Hiſtoria Antiquaria Etruſca*, cui adiectae ſunt Vindiciae mei Alphabeti Etruſci. De ea quoque omnium luculenter & erudite diſſeruit V. C. Bindus Simon Perutius Patric. Flor. Socius Etruſcus, & Columbarius in *Hiſtoria* ſua edita in Volumine I. *Actorum & Memoriarum* eiusdem Columbariae Societatis; quae iisdem legibus, & inſtitutis, uti Cortonenſis Academia, viget ac floret, quae etiam cum ea foedus, & OMONOIAN ſe habere gloriatur; compluresque eruditiſſimi Viri, qui Academici Etruſci ſunt, Columbarii quoque Socii adlecti in eorum Albo recenſentur; & dum Florentiae morantur ac degunt, iisdem Columbariae Societatis Litterariis vigiliis interſunt, & multa notatu digna conferunt, exhibent, ac diligenter obſervant. Quam felix, fauſtum, fortunatumque Litterariae Reipublicae bono foret, ſi ſingulae Vrbes ſimili exemplo Academias conderent, quae conlatis invicem ſtudiis patria Monumenta inluſtrarent, & ea quae frequenter inveniuntur, deſcriberent, ac ſervarent, atque ab interitu, & oblivione vindicarent. Id vehementer cupio, & quamflagrantiſſime. Romae ni inſtituta fuiſſet Academia in aedibus Pomponii Laeti, & Colotii, infinita paene Vetuſtatis eruditae monumenta intercidiſſent, quae nunc in Mazochiana

na

na Sylloge, & in Gruteriano Thesauro, ceterisque Antiquariorum Syntagmatis maximo eruditionis proventu leguntur: cuius studii tanta est, ac tam exquisita utilitas, iucunditas, & fructus, ut multis vix dici possit.

Quemadmodum vero ea Academia Romana celeberrima, sub Leone X. P. M. instituta, vetustorum Marmorum thesauros nobis aperuit; ita & altera sedente summo Hierarcha Vrbano VIII. omnigenae Eruditionis Ecclesiasticae, tum Graecae, tum Romanae fines mirifice amplificavit. Ea originem habuit, & fundata est Romae in Monasterio Patrum Basilianorum III. Nonas Iunias an. MDCXXXV. die Dominico, in quem eo anno incidit Festum SS. Trinitatis; & BASILIANA dicta est. Tunc Monachi Monasterium habebant prope Ecclesiam S. Ioannis, vulgo *in Mercatello*, in Regione, quae adpellatur *della Pigna*. Huiusce Academiae Protector fuit, per omne aevum summa cum laude memorandus, Cardinalis FRANCISCVS BARBERINVS Senior, vir doctissimus, & doctissimorum hominum Fautor eximius ac beneficus, quibus eius Aula quammaxime referta, ac frequens erat. Eiusdem Academiae Princeps fuit Cardinalis Franciscus Maria BRANCACCIVS; a Secretis vero Ioannes Baptista DONIVS, Patricius Florentinus, qui non paucas Dissertationes, quae in lucem mea cura prodibunt, in ea habuit, ac praesertim in Aedibus Barberinis, ubi non raro Basiliani conveniebant; nam quoties congregabantur, Praelectio, sive Dissertatio Latina recitabatur, & dubium aliquod in praece-

denti congressu propositum solvebatur, & disceptationes, ac sermones de rebus Ecclesiasticis ad Ecclesiasticam Historiam tum Graecam, tum Latinam, eorumque ritus pertinentibus habebantur. Primum instituta Basiliana Academia, in eius dedicatione Orationem habuit P. D. Ioannes Baptista Aegyptius, Monachus Cryptaeferratae. Vix tamen lustrum praetergressa est; eiusque Academici haud fortasse plures quam XXXVIII. fuere, doctrina tamen, & morum probitate praestantes. Etenim inter hos fuere *Carolus Moronus*, *Fridericus Vbaldinius*, *Franciscus Arcudius*, *Iacobus Accarisius*, *Ioannes Baptista Rinuccinius Archiepiscopus Firmanus*, *Ioannes Baptista Silius*, *Leo Allatius*, *Lucas Holstenius*, *Petrus Lasena*, *Raphaël Magiottius*, egregius eius aetatis Medicus, quem frequenter laudat in suis Dialogis Horatius Prior Oricellarius, Patricius Florentinus, & alii Academici memoratum numerum implentes. Inter hos census quoque est *Ioseph Carpanius*, Iuris Civilis Professor in Romano Archigymnasio, qui Romae auctor fuit Academiae *degl' Intrecciati*, quae etiam brevi exstincta est. Carpanius iste anno MDCLXXXII. Romae edidit senex Orationes quasdam suas, quas valde iuvenis scripserat, quarum in fine ab eo editae sunt notitiae eruditae ad hanc BASILIANAM Academiam per quinquennium pertinentes. Has vero, dum haec scriberem, mecum communicavit Celeberrimus Praesul Bottarius, Vaticanae Bibliothecae Praefectus; quas quidem afferre animo lubens volui, ut magis magisque per-

perſpicuum ſint Litteratorum Hominum Coetus maximum litteris ſplendorem & incrementum, Vrbibus decus, & gloriam adferre cumulatiſſimam. Quapropter ſi Principes haſce Academias liberalitate, & favore proſequi velint, manifeſtum eſt eorum nomina aeternitati ab hiſce Muſarum alumnis commendata, ſumma cum laude toto orbe praedicari, ac perpetuo vivere; & optimarum artium ſtudia mirifice augeri, & ad praeſtantiae faſtigium brevi quamfacillime magno cum fructu pervenire.

Hodie vigent florentque aliae Praeſtantium Litteratorum Academiae, inter quas eae inſignes ſunt, quas inſtituit Sapientiſſimus BENEDICTVS XIV. Pontifex Maximus, quae divinarum humanarumque facultatum eruditionem complectuntur. Duae quoque Neapoli percelebres ſunt, altera in Aedibus Emin. Principis S. R. E. Cardinalis SPINELLI, Archiepiſcopi Neapolitani; altera vero in Bibliotheca ſplendidiſſimi Principis de Tharſia habentur. Quod ſi etiam praemia his, qui in hac aerumnoſa arena ſtrenue deſudant, perampla conſtituantur, mirum in modum optimarum litterarum commercia ampliabuntur, & locupletabuntur.

Quod ad hanc meam Opellam adtinet, (quam in tranquilliore ruris otio in VICTORIA VILLA *ad Quartum*, quod nempe quarto ab urbe Florentia lapide ſita eſt, paucos intra dies huiuſce Veris feriis, concinnaverim) illud dicendum ſupereſt, non omnia, quae in hoc Volumine VI. Noctium Corythanarum deſcripta ſunt, me retuliſſe; ſed me-

mo-

morabiliora in compendium redegisse; ut, his editis selectioribus Monumentis, doctiores Musarum Cultores ex hoc specimine intelligant, ac sciant, quanta cum laude, quantaque cum nominis gloria, & litterarum beneficio CORTONENSES ACADEMICI ad augendas eruditionis opes, & patriae claritudinem laudabiliter conveniant; quod ideo a me factum est, quia propter multa in me conlata beneficia, huic nobilissimo Coetui sum animo, fide, benevolentia, omnibusque officiis devinctissimus. Valde igitur mihi gratulor, quod opportune mihi oblatum sit ab Amico optimo huiusmodi eruditarum lucubrationum Volumen, antequam in Bibliotheca eiusdem Cortonensis Etruscae Academiae reconderetur: quod a me diligenter summa cum animi voluptate expilatum, hac die, nempe III. Eidus Iunias ann. MDCCL. restitui, & tradidi I. C. Sellario, A. E. & C. humanissimo & eruditissimo, a quo accepi.

Complectitur hoc Volumen lucelentiora quaedam Capita. In altero Volumine, quod huiusce alteram Partem esse volumus, optimum factu duximus a sequentibus Capitibus exordio desumpto, proferre erudita Monumenta Externa Historica, & Philologica, quae nunc primum in lucem mittentur, e Codice Sellariano depromta. Inter haec principem obtinebit locum Historica Epistola KYRIACI ANCONITANI ad Franciscum Scalamontium Equitem, & Iurisconsultum Anconitanum, *De Bello inter Genuenses, & Regem Aragonium*. Eiusdem Kyriaci amicissimus fuit IACOBVS BRACELLIVS Ge-

Genuensis, cuius Historiam *de Hispaniensi Bello* iure ac merito adtexendam duxi, quod praesertim Liber III. pro Commentario inserviat Historiae scriptae eodem tempore a praelaudato Kyriaco Anconitano. Bracellianae Historiae Volumina edita primum Mediolani saec. XV. mox Parisiis an. MDCC. adeo rara sunt, ut in perpaucis Bibliothecis serventur; & quod vix credideram, minime adparent in Muratoriana celeberrima Sylloge *Scriptorum Rerum Italiae*: quae profecto Historia digna erat ne silentio praetermitteretur; de qua plura suo loco. Alia mox sequentur Opuscula nondum antea edita, quae in memorata altera Voluminis Parte recensentur. Post haec in adlata Monumenta adiicientur Adnotationes meae quaedam, ut hae lucubrationes in manus Cultorum venerandae Antiquitatis, atque omnigenae Eruditionis gratiores eant.

Hoc qualicumque, tenui quidem, obsequii, & amoris mei in Academiam Etruscam perenni argumento, spero non tantum eruditissimorum Sociorum favorem, sed & Litteratorum exterorum gratiam me auspicatissime initurum; quibus propter eximia in me conlata beneficia adeo devinctus sum, ut honori meo maximam adcessionem fieri intelligam, si meorum laborum adprobationem, quam ipsi sponte viginti ab hinc annis, scripta humanissimis verbis Epistola, obtulerunt, ad scrutandos eruditae Vetustatis aditus me horrantes, adiiciam hoc in loco satis opportuno; quod antea me non fecisse adfirmo; ne laudis meae nimis cupidus, & studiosus viderer.

PER-

PEREXIMIO VIRO

ANT. FRANCISCO GORIO

FLORENTINO CONLEGAE

ACADEMIA ETRVSCORVM CORTONENSIVM

S. P. D.



Raeclarum illud ſane conſilium, Vir Clariſſime, quo per univerſam Etruriam mirâ induſtriâ conlectas Inſcriptiones, aeri marmorique inciſas, iuris publici facere ſtatuiſti, ſatis laudare, nedum probare potueramus, quin etiam nobiſcum gauderemus, talem Virum haberi ab Academia noſtra Socium, qui tam egregiam in iuvandis Reipublicae ſtudiis operam navaret. Convenimus igitur hiſce diebus in Muſeo noſtro, & apud te gratiam inituros rati, deſcribi iuſſimus Lapides omnes inſcriptos, qui inter ornamenta τοῦ ΚΕΙΜΗΛΙΑΡΧΙΟΥ *plurimi, nitidiſſimique exſtant, exemplaque cum his ad te litteris miſimus. Nihil enim eſt, quod nos ita magnopere delectet, quam ſtudium hoc inquirendi, indagandique eruditae Antiquitatis Monumenta, ac Inſcriptiones praecipue, quae in Archaeologia noſtra maioris ſunt dignitatis, & uſus. Recte quidem Onuphrius* BALDELLIVS *Civis noſter, generis ſplendore, ac ſapientia inter*

ter

ter suos conspiciendus, qui hoc temporis DVX fuit, & AVCTOR Academiae nostrae, in eiusdem plane regiis Aedibus, praeter Nummos, Statuas, Gemmas caelatas, instrumenta cum bellica, tum pacalia, principem locum inscriptis Lapidibus esse voluit. Perspectum plane illi erat quantum luminis, & opis Latinis Litteris hoc studio adtulerint Eruditi, & maxime omnium his in locis, hanc Antiquitatis partem curavit, advecta ex Romanis, Clusinis, Arretinisque viciniis, ne quid de nostris dicamus, hac, quam ad te misimus, vetustarum Inscriptionum copia. Nos vero pro virili, uti est instituti nostri ratio, hanc spartam ornavimus, & saepe audivimus Conlegas nostros vetera Epigrammata explicantes pulcherrimis eruditionibus, e Graecis, Latinisque fontibus haustis. In TVTILII illius Civis nostri ac Philosophi Stoici veterem Cippum Romae erutum belle disseruit Academicus noster ingenio & eruditiones pollens (1). *Hunc quoque inter nostras teexscripturum confidimus, quamvis nobis non licuerit eum tenere: is est his temporibus harum rerum amor, & existimatio. De Etruscis Inscriptionibus non loquimur, quarum pro tanta Vrbis nostrae vetustate plurimas in dies e manu inlitteratorum, ac e terrae abditis locis eruimus, earumque conlectionem ex Conlegis nostris unus consarcinavit, brevi, ut spera-*

(1) Vide Vol. I. Dissert. Acad. Etrusc. Cortonen. Dissert. XII. pag. 127. Cippus ille marmoreus editus Romae an. 1735. ita, ut infra, inscriptus est.

ramus, in lucem prodituram. Verum haec tu nosti. Officium nostrum a te probari volumus; & te bene valere iubemus [1].

In nostro Museo Cortonensi
Kal. Iuniis MDCCXXX.

Nicolaus Vagnucci a Secretis.

C. TVTILIO HOSTILIANO
PHILOSOPHO STOICO
DOMO CORTONA
PATRI OPTIMO
C. TVTILIVS IVSTVS
FILIVS
TVTILIA QVINTA
TVTILIA QVARTA
FILIAE

„ *Hanc Inscriptionem, statimac inventa est*
„ *Romae prope Ecclesiam SS. Marcellini & Pe-*
„ *tri, Via Labicana, anno MDCCXXVII. mense*
„ *Decembri, cum Gorio communicavit Vir Praecla-*
„ *riss. Franciscus Commend. Victorius, Academicus*
„ *Etruscus; Gorius vero cum Eruditissimis Venu-*
„ *tis. Si otium est, vide quae adnotantur in*
„ *Par. II. Inscr. ant. Etruriae Vrb. pag. 396.*
„ *num. 74. edit. Flor. ann. 1734. ubi adsertur.* „

ELEN-

(1) *Ea in meo Codice Miscellaneorum Erud. exstat, & adservatur. Codix Q notatus est.*

E L E N C H V S

C A P I T V M

CAPVT IX.

Monumenta Ecclesiastica Cortonensis Vrbis & suae Dioeceseos.

CAPVV X.

Monumenta Civica ad patriam Cortonensem Historiam pertinentia.

CAPVT XI.

Antiqua Monumenta insigniora alibi nuper inventa.

CAPVT XII.

Virorum aliquot Cortonensium Inlustrium Elogia.

CAPVT XIII.

Monumenta Patria Cortonensium Historica, & Philologica ex Codicibus Cortonensibus nunc primum in lucem edita.

CAPVT XIV.

Monumenta Externa Historica & Philologica e Codice Sellariano nunc primum edita.

CAPVT XV.

Adnotationes in adlata in utroque Volumine Monumenta.



CA-

CAPVT I.

ACTA ACADEMIAE ETRVSCAE CORTONENSIS

Anno MDCCIL.

QVum Inluſtres SOCII CORTONENSES, ut monuimus, iam decreviſſent patriam Hiſtoriam viritim augere, & inluſtrare; ſtatuerunt hoc anno, vehementius quam antea incenſi, praeter alia Monumenta in ſuperioribus Voluminibus deſcripta, Chartas omnes, quae cum in publicis, tum in privatis Archivis, & Forulis adſervantur, ante omnium oculos exponere, atque in pluribus Corythanis Noctibus ſcrutari, & obſervare: exindeque ſcrutata & obſervata diligenter, ac breviter adnotare. Ea de re primum Diplomata multa, & Inſtrumenta e ſua Bibliotheca protulit V. C. Marchio & Eques Marcellus Venutus; id ipſum fecit Hieroſolymitanus Eques Eruditiſſimus Serninius, Eques Coratius, Sellarius Canonicus & I. C. Patricii Cortonenſes, & Academici Etruſci, quorum ſtudium alii, reſeratis Tabulariis ſuis, ſecuti ſunt ardore maximo, multaque commendatione digno. Primus omnium hanc ſpartam egregie occupavit praelaudatus Canonicus Sellarius cuius inſignem *Codicem Diplomaticum Cortonenſem* avide cupimus, & expectamus; in quo omnia optima methodo congeſ-

ſit, & inluſtravit *Diplomata*, *Sanctiones*, *Sententias Iudicum*, *Teſtamenta*, *Contractus* &c. quae Cortonae vel in publicis, vel in privatis Archivis adſervantur, & antecedunt annum MCCCXXV.

In Nocte I. Coryth. optimum factu viſum eſt, ſi primum Series Lucumonum, ſeu Principum Academiae Etruſcae Cortonenſis, accuratius quam antea factum fuerat in editis Diſſertationibus, praeponeretur, qui ab inſtitutione eiusdem Academiae ita proceſſere.

Ab Anno MDCCXXVI.
ad An. MDCCXXVIII.

Philippus Bonarrotius Senator Florentinus quoad vixit Praeſes Academiae adpellatus, & habitus eſt; quem etiam aliqui Scriptores Lucumonem dixerunt, ut Auctor Biblioth. Italicae, Gallice ſcriptae, Tom. IV. Art. V. pag. 150.

1728. *D. Comes Franciſcus Maria Zephyrinius, Patricius Cortonenſis, & Florentinus.*

1729. *D. Sylvius Faeronius Marchio Bellaviſtae, Florentinus.*

1730. *Reverendiſs. P. Fr. Salvator de Aſcanio Hiſpanus ex Ord. Praedic. Hiſpaniarum Regis ad Etruriae M. Ducem Ablegatus.*

1731. *Reverendiſs. D. Hieronymus Pontellius, Praepoſitus & Vicarius Generalis Cortonenſis.*

1732. *Ex-*

1732. *Excell. Princeps D. Antonius Vainius Rom.*

1733. *Excell. D. Ioannes Ernestus ex Comitibus de Harrach, e Roraw.*

1734. *Emin. Princeps D. Cardinalis Petrus Ottobonus.*

1735. *Emin. Princeps D. Alexander Card. Albanus.*

1736. *Reverendiss. P. Fr. Ioseph D. Evora, Lusitaniae Regis ad Romanam Aulam Minister.*

1737. *Excell. D. Iacobus Fits-Iamer Stuardus, Dux Bervik, Legatus Hispan. Regis ad Regem utrusque Siciliae.*

1738. Vacavit, ipso eo anno defuncto, in quo Litterata Parentalia ei publice ab Academicis persoluta sunt.

1739. *Excell. D. Marcus de Beauuau, Princeps de Craon, Locumtenens & Plenipot. in Etruria.*

1740. *Emin. Princeps D. Cardinalis de Almenara, Portocarrero.*

1741. *Emin. Princeps D. Petrus Aloysius Cardinalis Caraffa, Neapolitanus.*

1742. *Excell. D. Paulus Princeps Borghesius.*

1743. *Excell. D. Emmanuel Comes de Richecourt &c.*

1744. *D. Gregorius Marchio Alexander Capponius, Museo Capitolino Praefectus &c.*

1745. *Emin. Princeps Angelus M. Quirinus, S. R. E. Card. Bibliothecarius, Episc. Brix.*

1746. Idem pro hoc anno confirmatus.

1747. *D. Abbas Iulius Franchinius Tavianus Patr. Pistor. Minister. Etrur. ad Pont. Aulam.*

1748. *D. Ioannes Petrus Marchio Lucatellius, Patricius Mediol. Eques Honor. Summ. Pontific. Museo Capitolino Praefectus.*

1749. *Emin. Princeps Ioakim Cardinalis Besutius.*

Pro sequenti anno Sacro Iub. MDCC. designatus Lucumo & Princeps Eminentissimus S. R. E. *Cardinalis Nereus CORSINIVS.*

Monumenta quaedam Controversiarum, quae obortae sunt, postquam Sanctorum Fastis adscripta est B. MARGARITA a sanct. mem. Pont. O. M. CLEMENTE XI. inter Cortonenses & Procuratorem Generalem Ordinis S. Francisci, in hoc Volumine adiici iusserunt, quae quidem adferuntur pag. 101. & desinunt pag. 139. Controversias dedit ac proposuit Cl. Abbas Philippus Alticotius Canonicus & Patricius Cortonensis, Etruscae Academiae Socius. Ad hanc causam dirigendam & promovendam a Cortonensi Magistratu deputatus est D. Honuphrius Bonius Patricius Cortonensis, ut ageret cum Reverendiss. Ordinis S. Francisci Procuratore Generali

li Iosepho Maria D. Evora. Facta perhonorifica mentione praelaudati V. C. Philippi Abbatis Venuti, Patricii Cortonensis, qui in locum Praestantissimi D. Baronis Bimard de la Bastie fato functi surrogatus fuerat inter Socios Regiae Parisiensis Academiae Inscriptionum & optimarum Artium; iterum pro eius eximiis in Litterariam Rempublicam, & in Etruscam Academiam meritis, perficiendum decernitur honorarium Numisma cum eius Effigie, nomine, & aptissimo emblemate; citaturque exemplum Societatis Columbariae Florentinae, quae id ipsum monumentum, honoris gratia, eidem Socio suo, inter eos nuncupato il FRANCO, decrevit VIII. Idus Maias ann. MDCCXXXVIII. Indictum etiam ut Eminentissimo Cardinali S. R. E. Bibliothecario Angelo M. QVIRINO iuculentissimae ac perennes gratiae referantur a Cl. Hieronymo Bonio Patricio Cortonensi & A. E. pro egregio Opere ad eos dono misso Cl. Socii tui Etrusci Cortonenensis & Columbarii Florentini *Io. Casparis Hagenbuchii*, in quo Barbisonianum Boethii & Helvetianum Ariobindi Consularium Virorum Depthycha inlustrantur; quod opus eiusdem Purpurati Maecenatis auspiciis, iussu & sumptibus Turici excusum est anno MDCC.XLIX. Selecta quaedam in laudem huius Operis adnotantur, & Elogia Academicis Cortonensibus, & Florentinis Columbariis ab eodem laudatissimo Socio tributa, adferuntur in Nocte Corythana XXVII.

Iussum quoque, ut Traiani Imperat. Cae-

ſaris Tabula in Agro Placentino effoſſa, curante Gorio edita, & a Cl. Muratorio A. E. & C. Commentario inluſtrata, in fine huius Voluminis inſeratur. In Collectione Tabularum, quae aere inciſae prodierunt, curatum eſt, ut inſeratur eiusdem optimi Principis Arcus Triumphalis expreſſus a Franciſco Nepote, & inciſus a Franciſco Seſone, de quo in Corythana Nocte XII. Viſae etiam probataeque ſunt XXXII. Tabulae aeri inciſae, quae pars ſunt Voluminis Antiquitatum Muſei Cortoneſis; quod in lucem propediem prodibit.

Huiuſmodi Decretum mox factum pro Vicennalium ab origine inſtitutae Academiae celebritate ad laudandos inclutos, & munificos Socios, quod typis expreſſum in lucem prodiit.

PRIDE K. NOVEMB. A. CIↃ. IↃ. CC. IL. QVVM. IN ACADEMIA. ETRVSCAE ANTIQVITATVM. VETVSTISS. VRBIS CORTONAE ACADEMICI. CONVENISSENT. ET. AVSPICE EMINENTIS CARD BESVZIO. VOTA XX. SVB EIVS NOMIME. NVNCVPANDA. IVSSISSENT. A. D. VIII. K IAN IDEO. VERBA FACTA. SVNT SOLEMNI RITV. IMPERATORI CAESARI FRANCISCO. AVGVSTO MAGNO. ETRVRIAE. DVCI. GRATES REDDENDAS. ESSE OB SCIENTIARVM. TVTELAM IVSTITIAM. AEQVITATEM. PLACIDVMQVE IMPERIVM. INDE. NOMINA. EORVM. QVI MVNIFICA. LARGITATE. LIBERALITATEM. AD AM-

AMPLIANDAM . ACADEMIAM . CONTVLERVNT AETERNIS . CARMINIBVS . PVBLICE . CELEBRANDA EORVMQVE . MONVMENTA . SPECTANDA SANXERVNT . INTER . QVOS . PRINCIPEM . LOCVM DEBERI . DECRETO . CENSVERVNT - EMINENTISS. CARD. IOAKIM . BESVZIO . ETRVSCI . COETVS LVCVMONI . EMMANVELI . COM. DE. RICHECOVRT QVI . PRO . CAESARE . NOSTRO . ETRVRIAM RITE . SANCTEQVE . MODERATVR - EMINENTISS. CARD. QVIRINO . SACRI . SENATVS ORNAMENTO COM. ALBERICO . ARCHINTO . PONT. MAX. AD POLON REGEM . ABLEGATO - IOANNI . PETRO MARCHIONI . LVCATELLIO . CAPITOL. ANTIQV. PRAEFECTO - LAVRENTIO . EQVITI . GVAZZESIO CORTONENSIS . VRBIS . PRAETORI . EXIMIO SAPIENTIQ. VIRO . ALIISQVE . QVAMPLVRIMIS.

ideo

QVOSCVMQVE . MVSIS . AMICOS . COMPELLAVERVNT EODEM . DIE . VT . CARMINIBVS . CERTENT VICTORQVE . ANNVLO . AVREO . GEMMAQVE . BONI EVENTVS . NVMINE . EXSCALPTA . DONATVS ABIBIT.

Indicta *Vicennalia* celebrata ſunt ſtata die V. Kal. Ianuar. eiusdem anni MDCCL. maxima Academicorum frequentia in magna Aula Palatii Praetorii, feſtivo pompae adparatu exornata, plaudente Symphoniacorum multorum Orcheſtra, Carmen canente Muſicum Ioſepho

Bellio Cortonensi, quod a se elaboratum dederat Philippus de Pancratiis, a Secretis Academiae. Interim, postquam adlatum Decretum typis expressum, omnibus dono datum est, Ill. Rinaldus Alticotius Dissertationem suam *de Votis Vicennalibus* recitavit oppido eruditam; laudes IMPERATORI CAESARI pro meritis dedit, bona omnia, ac prosperos successus ei, conceptisque Votis fausta ac felicia omnia Caesareae Domui precatus est: mox, iam viginti elapsis annis ab origine sua, & institutione, Cortonensem Academiam toto orbe celeberrimam laudavit, & complures Socios de ea, ac de litterarum gloria optime meritos, cum domesticos tum exteros, multis laudibus celebravit. Dum haec gestientibus suavissima laetitia omnium animis agerentur, Elogium & perpetuum Decretum, pro rei dignitate perleganter in maxima Tabula a Bernardo Paperinio Academiae Typographo excusum, quod Academicorum iussu & nomine conceperat Ill. Marchio & Eques Marcellus Venutus, singulis distributum est, & ad exteros quoque Socios postmodum missum; quod est huiusmodi:

ΑΓΑΘΗ . ΤΥΧΗ.

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT DEO . OPTIMO . MAXIMO . AVSPICE ADIVTORE . EXACTIS . FELICITER . ET RITE . SOLVTIS . VOTIS . XX. AB ETRVSCARVM . ANTIQVITATVM ACADEMICIS . VETVSTISSIMAE

VR-

VRBIS . CORTONAE . QVOD OPTIMORVM . SAPIENTVMQVE HOMINVM . NOMINA . ADSCIVERINT ATQVE . PER . VNIVERSAM . EVROPAM EORVM . STVDIA . LEGESQVE . LONGE LATEQVE . DIFFVSAE . SIENT . NOVA . XX. NVNCVPANDA . ANNO CIↃ IↃ. CC. IL. SOLEMNI . DECRETO . SANCITVM . EST EA . DE . RE . IMPERATORI . CAESARI FRANCISCO . AVGVSTO . PIO . FELICI INIVICTO . MAGNO . ETRVRIAE . DVCI GRATES . REDDENDAS . IVSSERVNT ACADEMICI . ETRVSCI . CORTONENSES QVOD . SVB . EIVS . MITI . FAVSTOQVE IMPERIO . PAX . ETRVRIAE . VNIVERSAE FVNDATA . ARTES . EXCITATAE . LEGES OPTIMAE . DECRETAE . SECVRITAS PVBLICA . FIRMATA . ET . TERRA MARIQVE . COMMERCIA . AVCTA FVERINT . VIVAS . IGITVR DIVTISSIME . ET . FELICITER IMPERES . FRANCISCE . CAESAR AVGVSTE . ET . COETVM . NOSTRVM ACADEMIAE . ETRVSCARVM ANTIQVTATVM . IN . CORTONENSI . TVA VRBE . FOVEAS . ORNES . AMPLIFICES EIQVE . TVTELAM . IMPERII . TVI ADIVNGAS . QVAE . TIBI . VXORIQVE MARIAE . THERESIAE . AVGVSTAE POSTERISQVE . TVIS . TRIVMPHATVRIS ORBIS . IMPERIVM . PRECATVR ADIVNCTIS . VNICVIQVE . MVLTIS . XX. XXX. ET . VLTRA.

Dein-

Deinde Acromata varia, & Carmina cum Latina, tum Tuſcanica ab Academicis recitata ſunt in honorem Caeſaris, & regnantis eius Caeſareae Familiae. Laudibus quoque celebrati Socii, qui de Academia Etruſca optime meriti ſunt, & votis omnibus eius gloriam augent, & maiora incrementa adſidue curant. Victor praemium obtinuit, illudque honoris gratia accepit a Cortonenſium Antiſtite Ampliſſimo Aloyſio Gherardio, Vice-Lucumone, nempe eximiam Gemmam aureo anulo inſertam, in qua exſcalptus antiquo opificio BONVS EVENTVS, quae nuper in feraci agro Cortonenſi inuenta fuerat. Is qui Victor publice conclamatus eſt, fuit Cl. P. *Bernardinus Veſtrinius*, ex Cleric. Reg. Scholarum Piarum, in Cortonenſi Seminario Philoſophiae & Theologiae Moralis Profeſſor meritiſſimus; qui iubentibus Sociis Elogium eorum nomine dedicaverat Eminentiſſimo Cardinali Bibliothecario QVIRINO. Litterariae huic celebritati & pompae coronidem impoſuit Generoſus Eques Laurentius Guazeſius, Patricius Aretinus, Cortonenſium Praetor A. E. qui Nobiles Feminas lectiſſimas, & Socios quotquot aderant in proximiorem alteram Palatii Praetorii Aulam cereis lampadibus, & luminibus exquiſito adparatu ornatam, adduxit, ubi feſtivae Choreae celebratae ſunt, adpoſitis, oblatiſque bellariis, & dulcibus aquis vario artificio nive congelatis, lectiſſima Symphoniacorum Orcheſtra inter haec plaudente.

Quum in frequenti Etruſcorum Academiae conſeſſu, pridem, ut diximus, ſtatutum fuiſſet publi-

bli-

blici iuris facere insigniora eruditae Antiquitatis Monumenta, quae tum in Museo Academiae, tum in reliquis Cortonae vetustissimae Vrbis adservantur, lege cautum est, ut quamprimum Volumen I. prodiret in folio maiore, cum hoc titulo; MVSEVM CORTONENSE, *in quo vetera Monumenta continentur, Anaglypha, Toreumata, Gemmae exsculptae, insculptaeque, quae in Academia Etrusca, ceterisque Nobilium Virorum Domibus adservantur, Tabulis aereis distributum, atque a Francisco Valesio Romano, Antonio Francisco Gorio Baptisterii Florentini Praeposito, & Rhodulphino Venuto Cortonensi Rom. Antiq. Praeside, Academiae Sociis, Notis inlustratum*. Delectus est Romae Typographus, atque etiam Operis curator *Faustus Amideus* Bibliopola; iussumque, ut impresso Programmate cum Socii, tum exteri omnes Viri litteratissimi monerentur; quod paullo post Romae prodiit X. Kal. Februar. an. MDCCL. ornatum nomine Emin. CARD. BESVTII Lucumonis, & Principis, & subscripto Philippo Pancratio a Secretis Academiae. In Nocte Coryt. XLVII. lecto Articulo XXIII. Ephemer. Roman. in quo adfertur Epistola Cl. *Ioannonis de S. Laurentio* ad Cl. *Ioannem Lamium* Biblioth. Riccardianae Praefectum; iussum est, ut in Regesto reconderetur. Ea Epistola scripta est in Labronis Portu (nunc *Livorno*) IX. Kal. Iulias an. MDCCIL. pro Vindiciis Antiquitatum Herculanensium.

Hoc ipso anno MDCCXLIX. Celeberrimus in Pisano florentissimo Atheneo Professor P. Odoardus Corsinus, ex Cl. Reg. Schol.

Piar.


Piar. Socius Etruſcus, & Columbarius, publica luce donavit Opus ſuum peregregium Florentiae excuſum in folio, *De Notis Graecorum*, ſex quoque Diſſertationibus omnigena eruditione cum ſacra, tum profana locupletatum; quarum quartam Diſſertationem dedicavit iiſdem Sociis Etruſcis Cortonenſibus, quorum ſtudia multis laudibus extulit, praeſertim vero in Corythanis Noctibus impenſa; cuius hoc ἀποσπασμάτιον perlubet adferre: *Quid vero de eruditis illis, ac fere aſſiduis Conventibus dicam, qui apud vos haberi conſueverunt, ac* Corythanis *praeſertim* Noctibus, *in quibus de variis doctrinae & eruditionis generibus ita diſſeritur, ut quidquid ad Etruſcae, Graecae, Latinae, patriaeque Hiſtoriae cognitionem, atque accuratum omnigenae Antiquitatis ſtudium ſpectare poſſit, exquiſite, ſubtiliter, ingenioſeque exponatur; ipſumque nitide accurateque deſcriptum in annuos veluti Faſtos, & Academiae Commentarios referantur? &c.* Expenſa quoque Opuſcola quaedam Cl. Ioannis Baptiſtae Paſſerri I. C. & Vicarii Piſaurenſis A. E. & laudata, quae iam edita ſunt in Symbolis Gorianis, praeſertim edita Diatribe *de Nummis Etruſcis Paeſtanorum*, & de *Menſa Libatoria Herculanenſium*. Iuſſum ad haec ut ea, & alia Opuſcula ad Academiam Etruſcam ſpectantia in Regeſto exſtarent, & inter cetera Elenchus variorum Opuſculorum, quae in iiſdem Gorianis Symbolis in lucem proferuntur.

CA-

CAPUT II.

PERTINENTIA AD SCIENTIAS, ET ARTES.

IN Nocte Corythana VIII. pag. 22. delineatum adfertur ouum, ante diem xv. Martii eusdem anni natum, cuius figura huius modi, admodum curiosa, cucurbitulam refert. Ouum hoc ostendit D. Horatius Macarius A. E. & Nobilis Cortonensis.



Retulit, & in Nocte Corythana XL. descripsit V. C. Canonicus Sellarius A. E. se in sumtuosissimo, & plane singulari Atlante Geographico V. C. Philippi L. Bar. de Stosch, A. E. in Volumine, quod exhibet Cretensem Insulam, obseruasse Chartas duas, alteram editam a Stephano Scolario, alteram a Visschero, quae exhibent *Portum Cortonensem*, & non longe alium Portum, qui *Portus Arretinus* vocatur,

qui


qui ſitus eſt in promontorio ſinus S. Nicolai verſus Civitatem Antropolitanam. Portus vero Cortonenſis eſt civitas prope rudera templi Dianae, e regione Inſulae *di Farıoni*.

Diſſertationem *de corporum electricitate*, quam exaravit *D. Deſagulliers*, Regiae Societatis Londinenſis Socius, qua praemium tulit, iudicio Regiae Academiae Scientiarum, & Artium Burdigalenſis, ex Gallico in Etruſcum ſermonem vertit Eques Hieroſolymitanus Ornatiſſimus Fr. Iohannes Serninius, Patricius Cortonenſis, A. E. Haec edita eſt Florentiae hoc ipſo anno per *Bonduccium Typographum* in libro inſcripto: *Diſſertazioni, e Lettere ſcritte ſopra varie materie da diverſi Illuſtri Autori viventi* &c. Praelaudatus Cl. Serninius eruditam Praefationem eidem Diſſertationi praemiſit, quam Academicis Etruſcis Cortonenſibus dedicavit. In eodem libro pag. 41. legitur Epiſtola, quae tum ad Electricitatem, tum ad Diſſertationis Etruſcam verſionem pertinet, cuius auctor eſt praelaudatus P. Veſtrinius, qui eam ornavit nomine Cl. Marchionis & Equit. Marcelli Venuti, cui & inſcripſit XV. Kal. Aug. anno MDCCXLVIII. Relata eſt inter Acta Gratiarum actio Cl. Dominici Comitis Bertolii, Canonici Aquileienſis, quod poſtulante Gorio, inter Academicos Etruſcos Cortonenſes adlectus eſſet. Epiſtola eiuſdem ad eoſdem Academicos edita eſt Romae Artic. VI. Ephemerid. Litter. pag. 52. ann. 1749. in qua & cenſuram quamdam ſui Operis Antiq. Aquileiens. editam in Novis Flor. literariis egregie refellit.

In

In Nocte Corythana XLVII. adnotatum est, adlato ad Socios Nuncio, mense Novembri eiusdem anni, iussu Christianissimi Galliarum Regis, Academiam Regiam Inscriptionum & Artium optimarum occupatam esse in concinnanda Historia Numismatum, ea ipsa methodo, quae adhibita est in exprimendis rebus Gestis Magni Ludovici XIV. Regis Christianissimi.

Inter cetera in Regesto huius Voluminis inserti sunt duo Catalogi typis editi Horti Botanici Caesarei Florentini, quorum auctor est Xaverius Manettius Medic. & Botanic. Prof. eiusdem Horti Praefectus. Primus continet CCCCXX. eiusdem Horti Plantas, quarum semina ad publicam utilitatem collecta, exteris Botanices Cultoribus in commercium exponuntur, ut totidem novis, ac exoticis permutentur. Alter Catalogus easdem Plantas ad numerum DC. continuat, iisdem legibus propositis.



CA-

CAPVT III.


NVMISMATA ANTIQVA, TVM MEDII, TVM ETIAM RECENTIORIS AEVI.

CL. Sellarius A. E. & C. in Museum Academiae Cortonensis intulit, & lubentissime dono dedit eximium, & numquam antea editum argenteum perparuum Numisma Paestanorum, literis hisce Etruscis inscriptum, ƧIVVƎꟻƧIB, quod explicatum a Cl. Ioanne Baptista Passerio I. C. Nobili viro Eugubino, & Vicario Pisaurensi, Socio Etrusco, & Columbario, publici iuris fecit Gorius in Tom. III. Symbolarum suarum, adiectis aliis duobus argenteis nummis Paestanorum, quos idem Gorius in suo Museo servat.

Eiusdem Cl. Sellarii P. & Canonici Cortonensis soror Francisca Sellaria, lectissima femina, quae nobilitatis decus auget morum honestate, & antiquae eruditionis amore, quo mirifice flagrat, ostendit aereum quadrantem, qui sequitur, sive monetam, sive pondus oppido vetustissimum Etruscorum, cuius insigne est truncus tuberosus arboris, quo antiquissimi Heroes pro clava in proelio usos esse pervulgatum est. Constat, ut antiquiores omnes monetae populorum Italiae, & Etruscorum, ex aere

fuso

fuſo, cuius viridis inductus color plane ſmaragdineus adparet.



Franciſca Sellaria Numiſmatum huius generis Collectionem plane ſpectatu dignam ſibi paravit, & accurato ordine ſingula digeſſit.

Dum agerentur Vigiliae Noctis Corythanae XLIV. oblatum eſt Academiae numiſma argenteum accuratae delineatum, quod quum nondum innotuerit Numiſmographis, heic adferre, & deſcribere viſum eſt. In altera facie habet tripodem, & frumenti granum, cum his litteris C9O, quae indicant ad Crotoniatas pertinere. De litteris hiſce plura docet Spanhemius *de uſu & praeſt. Numiſm.* Diſſert. II. & Matthaeus Aegyptius in *S. C. de Bacchanalibus*, quem vide pag. 16. 157. & 189. qui Crotoniatarum eximios nummos adfert in Tabula I. pictos pag. 178. & luculenter explicat.

Argenteum numum ad *Thoriam* Rom. familiam ſpectantem, qualis adfertur in Theſauro Mo-

 rel-

relliano num. 1. Academiae Etruſcae dono dedit V. C. P. Raymundus Adamius Soc. Etr. in Piſano Lyceo Prof. Ordinis Servor. B. M. V. in Etruria Provincialis. In antica caput *Iunonis Siſpitae* cum litteris I. S. M. R. hoc eſt: *Iunoni Siſpitae Magnae Reginae*. Typus eſt *Taurus*; epigraphe: M. THORIVS. ALBVS.

Clariſs. Eques Laurentius Guazzeſius A. Etr. Cortonenſium Praetor, initio menſis Decembris A. E. Cort., praeter monetas aliquot Italicas medii aevi, dono dedit XXVI. aerea antiqua numiſmata primae magnitudinis, inter quae notatur Veſpaſianus, cum averſa parte OB CIVES SERVATOS. Hadrianus cum duabus figuris: FORTVNAE REDVCI. Marcus Aurelius Antoninus: VICT*oria* GERM*anica* IMP*erator* VI. COS. III. S. C. Sed maxime memorabilis eſt, ab eo pariter oblatus, numus, qui legitimus, & antiquus non videtur, Iuliae Medullinae, quae Claudii uxor fuit, quam *ipſo die nuptiarum* obiiſſe narrat Suetonius. In antica ſpectatur caput eiusdem Auguſtae, cum epigraphe: IVLIA MEDVLLINA FELIX. ℞. HILARITAS AVGVSTI.

In XL. Nocte Corythana complura eximiae raritatis numiſmata ad ſe pertinentia tum priſci, tum ſequioris aevi, obſervanda, & inluſtranda exhibuit Cl. Sellarius, qui etiam ea deſcripſit; nam non ſolus Secretarius, ſed ſinguli Academici ea, univerſo Coetu probante, ut diximus, in hiſce Voluminibus, quae oſtenduntur & donantur, ſcribere & adnotare poſſunt; quod etiam in more poſitum eſt apud egregios So-

cios

cios Columbariae Academiae Florentinae. Primum occurrit ſpectatu digna aurea moneta, Floreno aureo Reipublicae Florentinae, & *Zecchino* Veneto mole ac pondere ſimillima, quae pertinet ad IV. Genuenſium Ducem. In antica, *Crux Dominica* expreſſa eſt, cum epigraphe in gyro: CONRADVS REX ROMANORVM P. In poſtica expreſſum eſt *aedificium Arciſimillimum*, *tribus cum turribus ſuperimpoſitis*, cui adſcripta eſt epigraphe: DVX IANVENSIVM QVARTV. V. Lud. Ant. Muratorius Academiae Etruſcae Cortonenſis & Columbariae Florentinae Socius, & Litterariae Reipublicae praeclarum ornamentum, Tom. II. Antiq. medii aevi Diſſert. XXVII. pag. 607. de hac moneta ſcribens, ait: *Aut eſt Ioannes Vicecomes, Archiepiſcopus & Dominus Mediolani; aut potius, ut reor, idem Simon Buccanigra, qui anno Chriſti* MCCCLXI. *iterum Genuae Dux renunciatus fuit*. Quia vero Doctiſſimus Muratorius forte ob vitium typi eiuſdem monetae non obſervavit, quod poſt illud QVARTV. ſequitur & alterum V. idem Cl. Sellarius accuratius expendendum propoſuit, num eadem littera V. poſſit eſſe initialis alterius vocis; & legi poſſit VICECOMES; & tunc adfirmari poterit quod aurea haec moneta pertinet ad *Ioannem Vicecomitem*; non autem ad *Buccanigram*. Alteram argenteam monetam oſtendit, & Muſeo Cortonenſi donavit, Ill. Eques Guazzeſius, Cortonenſium Praetor, quae nuper Cortonae inventa fuerat, eodem typo inſignem: CHONRADVS. REX ROM. ℞. DVX. GENVE. quae

in Nocte II. Coryth. describitur. Ex Caffari Annalibus constat Conradum II. anno 1139. facultatem dedisse Genuensibus, ut monetam cuderent.

Idem Sellarius argenteam monetam proposuit, quam idem Muratorius in memorata Dissertatione adfert pag. 759. sed tanquam incertam eruditis aliorum divinationibus explicandam reliquit: & facile ea de causa inexplicatam reliquit, quia adtulit epigraphen anticae partis mendosam, legitque IEPS. quum in ea perspicue scriptum sit: R. EPS. nimirum *Rainerius Episcopus*: vel etiam, si quis, velit *Rogerius Episcopus*. Siquidem pertinet ad Volaterranos, apud quos iidem Episcopi Saec. XIII. monetas cuderunt, ex privilegio Henrici VI. Imperatoris; quorum privilegia adfert, & multa differit Cl. P. Orlendius in Tom. I. Part. II. Orbis sacri & profani, Lib. III. Cap. XXXI. pag. 1060. Neque ex litteris cognovit Muratorius ad quam civitatem pertineret: quum D' VVLT. significent *De Vulterra*: quare mirum quod scripserit ibidem pag. 746. *Nullum Volaterranae Reipublicae numum in Etruria exhibere possum. Dicam tamen nec hoc quidem ornamentum olim in ea Civitate fuisse desideratum; quippe saeculo Christi tertio decimo mentionem reperio librarum Volaterranensis monetae*; atque ut id perspicue ostendat, adfert autenticum documentum in quo legitur: *sub annuo censu librarum Volaterranensis monetae*. Peccatum est etiam ab eo in describenda epigraphe posticae partis eiusdem monetae: nam pro genuina hac: CX. E.

VI-

VITORIA NRA. *Crux eſt Victoria noſtra*, idem Muratorius habet CI. Exſtat adſimilis moneta & in meo Muſeo.

In Nocte Coryth. III. complures monetae Rerumpublicarum, & Principum Italiae viſae, & deſcriptae ſunt.

Argentea, ſed obvia *Piſanorum*: B. V. M. *cum puero Ieſu ſedens*: PISE. ℞ *Aquila alis expanſis*: FRIDERICVS IMP.

Argenteae quoque duae, altera *Anconitanorum*: S. QVIRIACVS DE ANCONA: altera: AZO. VICECOMES. ℞. S. AMBROSIVS.

Item alia argentea: KAROLVS. IERVSALEM. ET. SICILIAE. REX. ℞. AVE. GRATIA. PLENA. DOMINVS. TECVM.

Ferrarienſium argentea: SANCTVS MAVRELIVS. ℞. Flos. DEXTERA. DOMINI. EXALTAVIT. ME.

Senenſium duae; altera argentea *cum Cruce, & lupa lactante*: SENA. VETVS. CIVITAS. VIRGINIS. ℞. ALPHA. ET. OMEGA. PRINCIPIVM. ET. FINIS.

Altera parva cum ſtemmate monetae, cuius inſigne claves Pontificiae decuſſatae; infra tiara cum epigr. AQVILANA CIVITAS. quod in poſt. repet. et epigraphe INNOCENTIVS PP. VIII. LIBERTAS.

Lucenſium argentea: OTHO. IMPERATOR. ℞. in medio LVCA. in ambitu HENRICVS.

Piſaurenſium: GVIDVS. VBALDVS. II. VRBINI. DVX. IIII. ℞. PISAVRVM. &c.

Nummus quoque *Galeacii III. Ducis Mediolan.* in cuius antica S. AMBROSIVS ME-

DIOLAN. Pontificali amictu ornatus est: in postica COMES VIRTVTVM . D. MLI . . . . de quo Cl. Muratorius Differtat. XXVII. Tom. II. pag. 595. quem Cl. Guazesius dono dedit.

Quum in Nocte Coryth. XL. Chartae autographae descriptae fuissent, quae pertinet ad *Borsium Ducem Mutinae* &c. quae inter Monumenta Diplomatica medii aevi in lucem mox a me proferentur, ostensus, expensusque est nummulus aereus eiusdem Ducis, & non pauca adiecta sunt Dissertationi XXVII. Muratorianae, quae habetur in Tom. II. Antiquit. medii aevi. Aliae complures Monetae Regum, & Principum ostensae, quae in ordinem in Sellariana Biblioth. & Museo digestae sunt, servato Regnorum, & Vrbium alphabetico ordine ad Muratorianum exemplar.

Ex Numismatis honorariis maximae magnitudinis, recentioris aevi, perpauca haec selegimus. Numisma cum capite barbato, & epigraphe: THOMAS PHILOLOGVS RAVENNAS. ℞. *Aquila, quae puellulam adfert mulieri lacte nutriendam*, cum epigraphe: GENITA A IOVE ET SORORE. Alterum Clementis XI. Pon. Max. ℞. ROMA RESVRGENS. Alterum in honorem Cardinalis Antonii Barberini inscriptum: CAR. AN. BARB. MAG. FRANC. ELEEM. ℞. *Lilia*: cum epigr. GRATIOR VMBRA.

Insigne etiam illud ostensum est, quod faciundum proposuit Gorius, qui emblema posticae partis invenit, deditque Maximiliano Soldanio Florentino, Artifici peritissimo ac laudatissimo. In antica refert laureatum caput Gloriosissimi Imperato-

to-

toris Caesaris CAROLI VI. cum epigraphe : IMP. CAES. CAROLVS VI. PIVS . FELIX . AVGVSTVS . „ Posticae partis emblema exhibet „ ipsum Caesarem sedentem, cui ad latus adsi- „ stit Iustitia, quae coronam eius capiti impo- „ nit, & sinistra gladium ostentat. Ad alterum „ latus adest Religio, quae altera manu Cru- „ cem, altera Evangelicae Legis Volumen te- „ net. Ante ipsum Caesarem in genu prolapsa „ adest Victoria alata, quae sinistra tenet cly- „ peum, in quo scriptum est PAX. dextera „ vero eidem triumphales palmas offert: cum hac epigraphe ex Virgilio desumta : VOS. MIHI. QVODCVMQVE. HOC. REGNI. Seorsim annus notatus est, nempe MDCCXXXVI. Alturam Numisma maximum Academiae Etruscae donavit Sellarius, in quo exhibetur Ill. Marchio Manfredus Malaspina, A. Etruscus & Columbarius Florentinus. Circa eius imaginem scriptum : MANFREDVS. MALASPINA. FILACTERIAE. ET. TERRAE. RVBR. MARCHIO. In aversa stantes *Virtus* & *Gloria*; cum themate ex Virgilio depromto a Gorio, qui exemplar proposuit. AVIS. ATAVISQVE. POTENS. In exergo : A. MDCCXLV. Artifex *Antonius Selvius* Pictor, & Fictor Florentinus adnotatur.



CAPVT IV.

INSCRIPTIONES ANTIQVAE.

DE Etrusca Inscriptione, sculpta in aerea basi, quae in Museo Academiae adservatur, multa adnotata sunt in Nocte Coryth. XXV. Ostensum est, proposito ipso archetypo, mendose eam editam fuisse in Novis Litter. Flor. huius anni num. 21. col. 321. cuius basis duplex epigraphe accuratius ab Acad. Etr. exhibetur. Quia vero Socii ipsum archetypum, ut diligenter observarem, ad me humanissime miserunt, libuit seorsim inter selecta Monumenta accurate delineatum, & aereae Tabulae incisum adferre, adiectis aliquot Observationibus, quae, ut expendantur a Sociis Etruscis Cortonensibus, a me propositae sunt.

Multa etiam adnotata sunt *De Mensa libatoria* Herculanensium, Etruscis litteris inscripta, quam primus omnium inter rudera prope Regiam Villam Porticiam detexit Cl. Marchio Marcellus Venutus, qui ad Gorium misit: quam luculenta Dissertatione Cl. Ioannes Bapt. Passeriis I. C. & Vicarius Pisaurensis, curante eodem Gorio, inlustravit, explicavitque, & prodiit non sine plausu Eruditorum in fine II. Voluminis *Symbolarum Litterariarum*.

Permulta etiam adnotata sunt de Inscriptione Equestris Statuae marmoreae *M. Nonii Balbi*, quam ei dedicarunt *Herculanenses*. In

Hi-

Hiſtoria Eccleſiaſtica, Civitatis Nolae, quia P. Io. Stephanus Remondinius Congreg. Somaſc. Vir Eruditiſſimus Tom. I. Lib. I. Cap. IX. pag. 59. haec ſcripſit, ut opinor, ex aliorum adſertione; non autem ex & oculari ſua inſpectione: *Si è rinvenuta* (ai Portici) *una ſuperbiſſima Statua Equeſtre di marmo, e di inimitabil lavoro; onde è ſtata nel Real Palazzo trasferita; nella cui nuova baſe, ſi legge traſcritta l' Inſcrizione medeſima, che era nella ſua antica, e minor baſe, in queſta guiſa:*

M. NONIO . M. F.

BALBO . PR. PRO. COS.

HERCVLANENSES

Non enim vetus epigraphe in nova baſi tranſcripta eſt; ſed ipſa vetus Inſcriptio modo adlata in nova baſi ſcite inſerta, & incruſtata eſt; quod aliquot in locis effracta inventa fuiſſet; quod ex doctioribus Neapolitanis per litteras probe reſcivi. His alterum adcedit perſpicuum teſtimonium, quod ſequitur. Hinc etiam, quod perperam a quibusdam exſcripta eſſet, ambages verborum multae, & diſſidia orta inter Litteratos, quae nota ſunt. Aliqui etiam dumtaxat additum recenti manu HERCVLANENSES dixerunt: aliqui intactam & genuinam, & licet fractam, exſtare tamen in baſi eiusdem Equeſtris Statuae tuentur; ut colligitur ex ſequenti Epiſtolae articulo, quam pridie Kal. Octobres huiuſce anni, ad Socios Cortonenſes ſcripſit Neapolitanus vir doctus,

& An.

& Antiquitatis peritus, & ita se habet: *Il P. Remondini si è ingannato a dire, che l' Inscrizione di Ercolano sia stata copiata dall' antica, che fu ritrovata sotto la Statua Equestre di Nonio Balbo. L' Inscrizione della Statua di Nonio Balbo è la stessa antica, sulla stessa lapida, rotta in più parti, e ricomposta. Non si fece mai nuova lapida per questa Inscrizione. L' ho veduta anco l' altro giorno per maggior certezza, e potrete asserirlo. Non è questo il solo monumento, che provi ad evidenza, che la Città sepolta sia Ercolano. Altro pezzetto di marmo infranto, che si conserva fra le cose scavate, quantunque mancante sia dell' intera sua Inscrizione, conserva la parola HERCVLANENses. Non sò come vi siano de' Visionarii, che ardiscano porlo in dubbio.* Inlustrium Virorum Statuae Equestres a Municipibus, & Colonis (quod est lippis ac tonsoribus notissimum) non in Villis, & campestribus locis; sed in Foro, conspicuo, & digniore Vrbis loco, dedicari, & conlocari consueverunt, tota Antiquitate testante, ac sexcentis exemplis probante. Inter Villarum ornamenta Statuae tantum pedestres & togatae, Protomae, & Icones Virorum inlustrium ponebantur: quod ex Epistolis Ciceronis, & Plinii, aliorumque satis exploratum est. Huiusce veritatis testes habemus omni fide dignos Viros, quorum Epistolae ex autographis scriptis adferuntur in altero mox proferendo Symbolarum Gorianarum Volumine, cum hoc titulo *Continuazione delle Lettere &c.*

Marchio Venutus Nocte Coryth. II. protulit

lit ex MS. Codice ſuo militarem hunc lapidem, iampridem effoſſum in *Valdipierle* Dioeceſis, & Territorii Cortonenſis; qui hodie deperditus eſt; & idcirco heic rurſus adfertur, licet apud Gruterum adpareat p. CCCL.

Q. ALBIO . Q. F. HOR . ILLICI
7. LEG. XX. V. V.
CORNICVLARIO . PR. PR.
DONIS . DONATO . AB . DIVO
TRAIANO . AVG
TORQVIBVS . ARMILLIS
PHALERIS . BELLO . PARTHICO . ET . AB
IMP. CAESARE . TRAIANO
HADRIANO . AVG . HASTA . PVRA
ET . CORONA . AVREA
AVILLIA . SOTERIS . MATER
FILIO . OPTIMO . PIENTISSIMO
L . D . D . D.

Alexander Certinius, quod in vetuſto Codice inveniſſent, inter Tiphernates deſcriptum, Gorio exhibuit, qui edidit in Partem III. Inſcript. Etrur. pag. 291. ubi pro AVILIA ſcribendum eſt AVILLIA. Hanc non edidit Muratorius in ſuo Theſauro; nam Gorianam eam Part. III. Inſcrpt. Etruriae intactam reliquit; quia haec poſt

excu-

excusum IV. Volumen Muratoriani Thesauri in lucem prodiit, anno MDCCXLIII. Sed lapides illi, quos ex Parte I. et II. atque ex Donianis excerpsit, plerumque ex typothtearum culpa cum multis mendis in eodem Thesauro prodierunt; quod conferentibus patebit. Lapis Musei Academiae, ita se habet:

D . M
SACRVM
OSCIA . IRENE
PIA . VIXIT . AN
XXX . D . XX . POR
TVMIVS . POLY
TIMVS . VXORI
PIENTISSIMAE
FECIT . H . S . E
O E B Q. III. S.

Siglae postremi versus haec significant: *Ossa eius bene quiescant* &c. Edita est cum mendis in Part. II. Inscr. Etr. pag. 389. n. 19. nam ita descriptam a docto Cortonensi accepit Gorius, quam heic genuinae lectioni restitutam libuit adferre, quod vitiatam doluerit idem Cl. Hagenbuchius Socius Etruscus, & Columbarius, in Commentar. ad Diptychon Quirinianum pag. CLII.

In quodam Codice Academiae in folio, in

in quo exstat hoc Opus: *Il pubblico fatto composto per mano de Meßer Lorenzo Spirito da Perugia &c.* dum compingeretur, inventa a Cl. Sellario est in membranaceo eius involucro antiqua manu exarata haec Inscriptio, quam complures docti Viri variis lectionibus apud Gruterum p. CCCCLXXXVII. 2. sollicitarunt.


Sub Ara maiori S. Angeli Perusiae.

C. VIBIO . C . F . L . N . TRO
GALLO . PROCVLEIANO
PATRONO . PERVSINORVM
PATRONO . ET . CVRATORI . R. P. VET
TONENSIVM . IVDICI . DE . V . DEC . AEDI
LI . PATRONO . COLLEGI . CENTON
VIBIVS . VELDVMIANVS
AVO . CARISSIMO . OBIIT . OB . CVIVS
DEDICATIONEM . DEDIT
DECVRIONIBVS . -X- II. PLEBI -X- I.
L . D . D . D .

Redundare videtur OBIIT, quod non legitur in Gruteriano Codice, vel perperam exscriptum est. Legitur tamen non raro in vetustis saxis OBITO. Reliquos versus in lateribus hoc autograhpum non memorat, quos habet Gruterus, quem vide.

In

In Nocte Coryth. XL. Hieronymus Bonius Patricius Corton. A. E. oſtendit fruſtum marmoris, effoſum Farnetae, quod ipſe ſibi comparavit, cum hac Inſcriptone. Praeter quam ſupra, in reliquis partibus fractum eſt. Lubenter proferimus, quod, ut videtur, ſit ſpecimen characteris, ut aiunt, antiqui *curſivi*.



In Nocte Coryth. XLV. memorantur Capita duo antiqua muliebria fictilia, quae Cl. Marchio Venutus in Muſeum Academiae intulit. Ea voti cauſa Diis dedicata fuiſſe viſa ſunt. Duo ſimillima capita in agro Campano inventa, item fictilia, intus vacua, nuper Sociis Columbariis Florentinis oſtendit Cl. Perutius, qui Muſeo ſuo Suburbano dedicavit. Laterculum quoque dono dedit, cum hac epigraphe, idem Cl. Venutus.

OFIC . DEX . DOMIT . LVCILLAE

In interiore orbiculo : ARINI

In

In ſequenti Nocte Corvth. XLVI. P. Veſtrinius A. E. ſequentem Inſcriptionem fictilis Vrnae, quam ex fragmento exſcripſit in maiore ruſtica Aede Hoſpit. Innocentium.

M . F L I . . . .

. . . . I V R A N V S

L V C R I O . A N N

In Nocte XLIX. Corythana deſcriptum eſt Hypogaeum Sepulcretum Familiae Aureliae, detectum in praedio quodam, quod milliario uno fere diſtat a Via Labicana, in confiniis Viae Praeneſtinae; de quo inferius ſermo Capite X. Ibidem inventum hoc marmor, quod neque in Muratoriano Theſauro, neque in Muſeo Veronenſi a Celeb. M. Maffeio editum eſt.

M . AVRELIVS . SYNTOMVS

ET . AVRELIAE . MARCIANAE


AEDIFICIVM . CVM . CENOTA

PHIO . FILIIS . LIBERTISQ. SVIS

A . SOLO . EXTRVXIT

Eminentiſſimus Princeps S. R. E. Cardinalis Ioakimus BESVZIVS, hoc ipſo anno Lucumo, ſeu Princeps Academicorum Etruſcorum, dono iisdem dedit aureum anulum cum gemma Sarda elegantiſſima, in qua ab antiquo eximio Opifice inſcalptum eſt caput Philoſophi no-

nobis incogniti. Dono quoque dedit pulcherrimam eburneam tesseram Athleticam, sive spectatoriam huius magnitudinis, ita inscriptam, quae nunc primum in lucem prodit, ex descriptione facta in praenotata Nocte Corythana.



Memoranda est ex indubitatae fidei monumentis ad Inclutam Societatem Columbariam Florentinam, me curante, transmissis, Epocha inventionis, seu detectionis celeberrimi Obelisci Horarii, quae auspicatissime contigit Prid. Eid. Martias, anno MDCCXLVIII. quandoquidem de hac vel silverunt, vel perperam eam nonnulli adnotarunt. Ad locum ubi latebat designandum, altera ex his Inscriptionibus scripta in Marmorea basi, iussu BENEDICTI XIV. P. M. delecta, ac posita est, quae ita in eadem Coryth. Nocte adfertur.

CA-

Inscriptio uti primum fuit exarata.

OBELISCVM . ELEGANTISSIMIS . INSCVLPTVM . SIGNIS
AB . IMP. CAES. AVGVSTO . AEGYPTO . ADVECTVM
IN . CAMPO . MARTIO . STRATO . LAPIDE . AEREISQ. LINEIS . SIGNATO
AD . DEPREHENDENDAS . SOLIS . VMBRAS
DIERVM . NOCTIVMQ. LONGITVDINES . OSTENDENDAS . ERECTVM
TEMPORVM . INIVRIA . PLVRES . IN PARTES . CONFRACTVM
TERRA . OBRVTVM . IACENTEMQ.

BENEDICTVS . XIV. PONT. MAX.

E . PRIORI . SEDE . MAGNA . IMPENSA . AC . ARTIFICIO . ERVTVM
NON . LONGE . PVBLICAE . LITERATOR . COMMODITATI . TRANSTVLIT
ET . NE . VETVSTATE . SVAE . SEDIS . EXCIDERET . LOCVS
MEMORIAM . PONI . CVRAVIT
ANN. REP. SAL. MDCCXLVIII. PONT. IX.

Eadem prout nunc jacet.

BENEDICTVS . XIV. PONT. MAX.

OBELISCVM . HIEROGLYFICIS . NOTIS . ELEGANTER . INSCVLPVM
AEGYPTO . IN . POTESTATEM . POPVLI . ROMANI . REDACTA
AB . IMP. CAESARE . AVGVSTO . ROMAM . ADVECTVM
EX . STRATO . LAPIDE . REGVLISQVE . EX . AERE . INCLVSIS
AD . DEPREHENDENDAS . SOLIS . VMBRAS
DIERVMQVE . AC . NOCTIVM . MAGNITVDINEM
IN . CAMPO . MARTIO . ERECTVM . AC . SOLI . DICATVM
TEMPORIS . ET . BARBAROR. INIVRIA . CONFRACTVM . IACENTEMQ.
TERRA . AC . AEDIFICIIS . OBRVTVM
MAGNA . IMPENSA . AC . ARTIFICIO . ERVIT
PVBLICOQ. REI . LITERAR. BONO . PROPINQVM . IN . LOCVM . TRANSTVLIT
ET . NE . ANTIQVAE . SEDIS . OBELISCI . MEMORIA
VETVSTATE . EXOLESCERET
MONVMENTVM . PONI . IVSSIT
ANN. REP. SAL. MDCCXLVIII. PONT. IX.

primum fuit exarata.

ISSIMIS . INSCVLPTVM . SIGNIS
'STO . AEGYPTO . ADVECTVM
IN . CAN . LAPIDE . AEREISQ. LINEIS . SIGNATO
ENDAS . SOLIS . VMBRAS
DIERV ITVDINES . OSTENDENDAS . ERECTVM
TEI VRES . IN PARTES . CONFRACTVM
VTVM . IACENTEMQ.
. XIV. PONT. MAX.
E . PR IMPENSA . AC . ARTIFICIO . ERVTVM
NON . LC ERATOR . COMMODITATI . TRANSTVLIT
ET AE . SEDIS . EXCIDERET . LOCVS
. PONI . CVRAVIT
MDCCXLVIII. PONT. IX.

---

prout nunc jacet.

. XIV. PONT. MAX.
OBELIS . NOTIS . ELEGANTER . INSCVLPVM
AEG M . POPVLI . ROMANI . REDACTA
AVGVSTO . ROMAM . ADVECTVM
EX . GVLISQVE . EX . AERE . INCLVSIS
. SEDIS . OBELISCI . MEMORIA
TE . EXOLESCERET
TVM . PONI . IVSSIT
MDCCXLVIII. PONT. IX.

CAPVT V.

PICTVRAE ET STATVAE ANTIQVAE AC RECENTES

DEscribitur in Nocte Coryth. XXXV. Tabula marmorea elegantissime picta, perquamlevibus coloribus, & lineamentis, quae hoc ipso anno inventa est prope Regiam Villam Porticiam Serenissimi Regis utriusque Siciliae. In ea eximio opere pictum cernitur Balneum sive Nymphaeum, in quo Nymphae se lavant: adsunt & duae puellae, quae talorum ludo se oblectant. Singulorum capitibus, vel iuxta eorum effigiem, nomina Graeca adpicta sunt. Videmus cum apud Graecos, tum apud Etruscos constantem morem institutumque adscribendi nomina iuxta capita Deorum, & Heroum, quae in sacrificalibus pateris adnotata occasionem mihi praebuere, ut Alphabetum Etruscorum statuerem XII. litteris constans, & quatuor deinceps adiunctis, & ut eorum potestatem & valorem omnium primus ostenderem. Descriptio per Epistolam a Litterato Neapolitano ad Socios transmissa est VI. Kal. August. ann. MDCCXLIX. Alia ad picturam veterem spectantia Monumenta in Capite XIII. mox describentur.

Ostensa est in Nocte Coryth. XIII. magna Charta, seu Tabula, in qua aere inciso editum est venerandum Ecclesiasticae Antiquitatis mo-

numentum, nempe antiquum Romanae Ecclesiae Triclinium, sive Cenaculum, Musivi operis pictura insigne, rursus instauratum refectumque, aptatis antiquis operibus in Basilica Lateranensi, iisdem, quibus antiquitus exornatum fuerat a Leone III. Pont. Maximo. Spectatur in eo regnantis Sapientissimi totius Ecclesiae Hierarchae BENEDICTI XIV. cuius iussu & consilio praeclarissimum hoc opus perfectum est, numisma cum eius imagine, & hac epigraphe.

TRICLINII. LEONIANI. PARIETINIS. RESTITVTIS

Inscriptio aheneae Tabulae incisa elucubrata est a Cl. V. Rodulphino Venuto S. E. & C. Antiquario Pontificio, & ita se habet.

BENEDICTVS XIV. P. M.

ANTIQVISSIMVM . EX . VERMICVLATO OPERE . MONIMENTVM . IN OCCIDENTALI . ABSIDE . LATERANENSIS COENACVLI . A . LEONE . III. SACRO COGENDO . SENATVI . EXSTRVCTI . QVOD AD . TEMPLI . AREAM . LAXANDAM CLEMENS . XII. INTEGRVM . LOCO MOVERI . ET . AD . PROXIMVM . S. LAVRENTII . ORATORIVM . COLLOCARI IVSSERAT . VEL . ARTIFICVM IM-

IMPERITIA . VEL . REI . DIFFICVLTATE DIFFRACTVM . AC . PENITVS DISIECTVM . NE . ILLVSTRE . ADEO PONTIFICIAE . MAIESTATIS AVTHORITATISQ . ARGVMENTVM LITTERARIAE . REIPVBLICAE . DAMNO INTERIRET . AD . FIDEM . EXEMPLI IPSIVS . CLEMENTIS . PROVIDENTIA STANTIBVS . ADHVC . PARIETINIS ACCVRATE . COLORIBVS . EXPRESSI ET . SIMILLIMAE . IN . VATICANO CODICE . VETERIS . PICTVRAE . NOVA ABSIDE . A . FVNDAMENTIS . EXCITATA ERVDITORVM . VOTIS . OCCVRRENS VRBI . AETERNAE . RESTITVIT . ANNO CIƆ. IƆ. CC. XLIII. PONT. SVI . III.

Memoratae sunt in Nocte Coryth. XXXII. Picturae antiquae, quae ornabant Ecclesiam, ubi servatur & colitur Corpus S. Margaritae Cortonensis. Historias pingendas curavit Vbertinus Episcopus Corton. adcito Ambrosio Lorenzetto, Pictore Senensi. Picti erant undique parietes, & in altero ex his spectabatur Cardinalis Neapoleo ex Vrsina Gente, qui Cortonam advenerat a Latere Legatus Summi Pontificis Clementis V. qui Avenione degebat;

qua occasione idem Cardinalis Dei famulam Margaritam, *Sanctam* adpellavit, & multa ad eius honorem contulit, & Bullis editis Privilegia, & Indulgentias donavit. De eodem Pictore plura adfert Philippus Baldinuccius in Decenn. IV. in eius vita pag. 40. ab anno 1330. ad annum 1340. Maiori celebritate & pompa ut singulis annis solemne festum ageretur S. Margaritae, complures Nobiles Cortonenses, praesertim Academici Etrusci, unanimi consensu proposuerunt, nempe ut noctibus duabus in pervigilio, & festo, tota Vrbs accensis lampadibus, & luminibus festivissime explendesceret.

Coetus Equitum Sacri Ordinis D. Stephani PP. & MM. pictam Tabulam a Burcio Florentino, cum imagine eiusdem Sancti dedicarunt in suo Sodalitio nuncupato *Boni Iesus*.

In Nocte Coryth. XXI. memoratur, XIV. Kal. Aug. huius ann. Florentia Cortonam advectum pulcherrimum, & molis ingentis simulacrum marmoreum S. Margaritae Cortonensis, stantis, & orantis specie, affabre sculptum a Pompilio Ticciato Flor. impensis D. Abbatis Canonici Philippi Alticozzii, statuendum, locandumque super Portam Burgi S. Dominici, iuxta Ecclesiam B. M. V. Alemannorum.

Recensita sunt in Nocte Coryth. VIII. complura antiquissima Cortonensium Etruscorum simulacra ex aere, pleraque etiam a Gorio edita in Museo Etrusco, qui eorum impressas Tabulas Academiae Etr. donavit, quae rursum prodibunt in Museo Cortonensi; inter quae etiam

com-

comparebit nunc primum in lucem editum ex aere ſimulacrum Etruſcum Bacchi, ſpectatu dignum propter operis elegantiam, altitudinis unius antiqui pedis, quod nuper effoſſum eſt Cortonae in praediis Hoſpitalis Innocentium. Recenſita ſimulacra antiqua facile XXX. Tabulas perficient.

Muſeum Nobb. Venutorum antiquis Monumentis, Sculpturis, & ſcriptis Lapidibus egregio ſtudio conlectis refertum eſt. In eo tres fictiles Vrnae Etruſcae nuper in eo reconditae deſcribuntur in Nocte Coryth. XII. quorum opercula exhibent Defunctorum iacentes in lecto imagines, & pulvillis manus eorum ſubfulciuntur. Earum emblemata haec ſunt, multorum ſanguine & caede expreſſae Heroum pugnae, quorum aliqui trabali unco congrediuntur.



CAPVT VI.

GEMMAE ANTIQVAE

NImius essem, si vellem Gemmas omnes, quae spectatae sunt, describere. Aliquot ex his seligam, quae Eruditorum genio faciant satis. Illud vero praenotandum, in more positum apud Academicos Eruscos, (quod & Socii Columbarii Florentini servant) Gemmarum omnium, quae diligenter observantur, & describuntur, ectypa vel cerea, vel sulphurea, in Cimeliis per seriem digesta servare. Studet quisque Socius non solum, quae in suis Cimeliis servat, sed & aliorum, exterorumque vetusti aevi hasce elegantias, ac delicias adferre, & exponere. Non exiguam sane Gemmarum Collectionem possidet Museum Cortonense, quas anno MDCCXXXII. vidi; sed sequentibus annis valde earum numurus excrevit. Complures Gemmae antiquae ex Museo Stoschiano describuntur in Nocte Corythana I. manu Inlustris Feminae atque Ornatissimae, Mariae Magdalenae Ginoriae Florentinae, uxoris lectissimae Nob. V. Philippi de Pancratiis, a Secretis Academiae Cortonensis, quae brevi in lucem mittet Etruscam Versionem suam Mythologiae Cl. V. Banier. Inter has Atlheta victor cum palma & peculiari corona: item *Coroebus Cassandrae* Sponsus a *Peneleo* occisus: *Aiax* con-

contra *Hectorem* iaciens ſaxum ; & *Cupido* agitans, ſive ſtans in *ciſio*, cuius antiqua figura hinc innoteſcit.

Adnotatum in Nocte Coryth. XXVIII. heredem praeſtantiſſimi Antiquarii M. Antonii Sabbatinii Romani, hoc anno vendidiſſe quadringentis quinquaginta ſcutatis *Pompeii Magni* Caput Gemmae inſcalptum ab egregio antiquo Gemmario Caelatore *Agathangelo*; quod emit Nobiliſſimus quidam Polonus, qui Dominae Marchioniſſae Viduae de Ligneville, veterum elegantiarum aeſtimatricis optimae, Romae, dum nuper degeret, dono dedit.

Summa voluptate complures Gemmae antiqui operis, raritate & elegantia inſignes, ſpectatae ſunt, ſive Heroicae, ſive Homericae, ſive ad Deos, & Mythologicam Hiſtoriam pertinentes. Sardae inſcalptus eſt *Philoctetes* cum pharetra & ſagittis, quas ab Hercule ſibi relictas poſt mortem accepit. Eius crus faſciis circumvolutum cernitur; cui medicinam fecit Machaon Aeſculapii filius. Etruſci hoc emblemate veluti ferali interdum ornarunt Sepulcra ſua, ut videre eſt in perrara Vrna funerea Etruſca Muſei Guarnacciani in Vol. III. mei Muſei Etruſci: quod luctificum emblema & in altera nondum edita Vrna marmorea Etruſca eiusdem inſignis Muſei Guarnacciani exhibetur. Eximia haec Gemma exſtat in Dactyliotheca Stoſchiana: item altera elegantiſſima inſcalpta Plaſmae ſmaragdineo, in qua Vulcanus divinus Faber, ut ait Homerus, Palladis iuſſu clypeum Achilli fabricat.

D 4 He-

Hecatomben ſacrificium forte exhibet inſignis Gemma, eximiis caelaturis Sardae pulcherrimae inſcalptis ornata, quae in lectiſſima Dactyliotheca Gaviana Florentiae ſervatur. Huius ectypum oſtendit Can. Sellarius. Spectatur in ea Heros, chlamyde & thorace armatus, qui ad aram encarpis ornatam, & igne ſuccenſam, bovem ſacrificaturus ſtat. Circumſtant duo milites ſive Heroes, alter haſta, alter clypeo Argolico; in quo Meduſae caput, muniti. Hanc ex eodem archetypo elegantiſſime ſumma diligentia expreſſit egregius Gemmarius Artifex Florentinus *Felix Bernabeus*, qui & nomen ſuum his litteris indicavit: Β. Φ. Ε. Is iuvenis ingenio aetatem ſuam annorum XXIV. ſuperat. Hanc gemmam ſibi comparavit priſcarum elegantiarum aeſtimator Nobiliſſimus Manfredus Malaſpina, Marchio Filacteriae & Terrae Rubrae, ex Equeſtri S. Srephani Prior, Socius Etruſcus, & Columbarius.

Duo milites, ſive Heroes ex urna ſortes ducentes exhibentnr in Gemma Dactylioth. Stoſchianae, cuius ectypum oſtenſum eſt. Cl. Philippus Baro L. de Stoſch ſelecta habet XIII. Vaſa pulcherrima artificioſiſſima, anaglyphis operibus ſtupendo opificio inſcalpta in Gemmis plane pretioſiſſimis. Praeter has, Gemmas habet quoque ultra centum, in quibus elegantiſſima Vaſcula inſculpta ſunt: quae quam mirum feraxque fuerit Antiquorum ingenium in tam variis pulcriſque Vaſculorum figuris inveniendis, teſtantur. Credibile eſt Vaſa operoſiſſima, quae inſignes Sculptores antiqui e marmo-

re perfecerunt, etiam Gemmarios Caelatores in pretiosis lapillis ad eorum exemplum expressisse, & interdum nomen suum in ipsis scripsisse; ut in insigni Gemma olim in Museo Parmensi adservata, nunc in Cimeliarchio Regis utriusque Siciliae, in quo legitur ΔΙΦΙΛΟΥ, praestantissimi Opificis nomen. Lectissimas has Vascularias Gemmas triginta annorum spatio idem sibi conquisivit. Singula Vascula sive in corpore, sive in collo, & ansis, figuris faberrime insculptis ornantur: quae plane, ut dicebam, admirandam veterum Opificum praestantiam, incredibilem solertiam, & inveniendi fecundam sagacitatem perspicue ostendunt.

Gemma antiqua e vitro spectata est, in quo Vas exhibetur, cuius ansas conficiunt duo capri; quo emblemate illud antiqui Poetae mirifice illustratur:

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Nam in his Gemmis pretiosa Vasa aurea & argentea Antiquorum, quae in mensis triclinaribus, & in templorum Sacrariis inter donaria exponebantur, expressa fuisse, facile credi potest. Mirifice tantillo in spatio lapillorum certant egregiorum Caelatorum Gemmariorum cum pertinaci labore summum ingenii studium, & immensi opificii conatus felicissimi.

Sed quemadmodum perrara sunt marmorea Anaglypha, quae antiquum Triclinium referunt; ita & Gemmae prorsus singulares hoc emblemate ornatae merito ab Eruditis censentur.

tur. Duae tamen praecipue adnotantur, quae exſtant in locupletiſſimo Stoſchiano Muſeo. In ferreo anulo, olim Dactyliothecae Odamianae, inſertus eſt iaſpis, in quo ſculptus vir in lectiſternio recumbens, phialam manu gerens: ante eum adpoſita eſt menſa tripes: pone etiam candelabrum tripes, cui impoſita eſt ardens lucerna. Sed et in Sarda eiusdem Stoſchiani Muſei praeſtanti opere caelatum eſt Triclinium cum menſa, ante quam recumbunt tres homines, qui poculum e cornu tenent, & potare videntur. Poſt ipſos ſtat Victoria, quae ferculum adfert: e conſpectu poſitum eſt candelabrum cum lampade ardente. Forte Triumphalis Cena in hac Gemma repraeſentatur; licet non pauca deſint ad hoc emblema, haud tamen indignum Imperatoris anulo, cuius probabile eſt ornamentum fuiſſe. Singularis quoque eſt praeſtantis Graeci Artificis caelatura anularis Gemmae, in qua Chalcedonio inſcalptus Iupiter, itemque Cupido delphino vectus per mare. Illud optandum bono Litterariae Reipublicae ſupereſt, ut idem Cl. Philippus Stoſchius, quod in votis eſt, & quidem praeſertim mihi, publica luce donet ditiſſimum Gemmarum ſuarum Theſaurum, in quo principem locum tenent Gemmae antiquae, Caelatorum praeſtantium nominibus inſignitae; nam ceteris editis in praeclaro ſuo Opere, alias paris dignitatis Gemmas ornatas Artificum nomine, ſupra quadraginta, addere poteſt, quae nondum in conſpectum Eruditorum prodiere, & tunc erit idem Opus abſolutiſſimnm.

In-

Inter portenta Gemmariae Artis recensenda videntur duo emblemata militaria Gemmis inscalpta ab Opificibus praestantissimis, quae exstant in memorata Stoschiana Dactyliotheca. In singulis sculptae sunt galeae Heroicae ornatissimae, ex variis animalibus confarcinatae. Alteram efformant simul conglobata, miro cum ordine & elegantia, canis, porcus; cassidis vero thema est Romulus & Remus, qui a Lupa lactantur. Forsitan quae propria eorum animalium sunt, Artifex exprimere voluit, militibus convenire. Adcedunt hae litterae in eadem Gemma incisae. P. XANTI. sed incertum est an Artificis nomen, seu potius anuli possessorem designent. Alterius galeae, quae Sardae inscalpta est, emblema aries, convolutis cornibus, uti Iovi Ammoni tribuuntur. Altera gemma, quae carbunculum nitore et colore vincit, exhibet galeam personatam, nempe militis effigiem, quam nuper Cl. Stoschius sibi comparavit.

Ostensum est in Nocte Coryth. XLV. Cameum Achati exscisum exquisiti operis, quod Florentiae invenit & sibi emit Ill. Eques Ioannes Bourerie A. E. Exhibet Atalantam, solutis capillis vento exagitatis. Idem splendidissimus Eques Anglus dum haec ostenderentur, in Coetu Academicorum Cortonensium praesens aderat. Alterum quoque observatum ex Achate Sardonyche, sed maximo damno fractum; nam caelatura summi Opificis praestantiam perspicue ostendit. In parte inferiore, quae nunc superest, sculpta est Femina, forte Venus, ad cuius pedes

des

des ſtant duo Genii, ſive Cupidines. Multis laudibus celebratum eſt artificium Centauri recentis operis, excalptum ab excellenti Gemmario *Pikler* Germano, quod anulo aureo inſertum defert Celeberrimus Poëta Caeſareus Petrus Abbas Metaſtaſius. Complures aliae Gemmae Academicis Etruſcis obſervandae propoſitae ſunt, quarum ectypa optima ſerie diſpoſita in Cimeliis Academiae ſervantur. Sed his coronidem imponat Gemma inſignis ex Sardonyche, in qua ſculpta eſt Diana Venatrix ſeminuda, cum cervo ante ipſam. In exergo ſcriptum eſt Artificis nomen ΗΥΛΟΥ. Hanc gerit Nobiliſs. D. Marchio & Senator Spada, Patricius Bononienſis, qui labente Iunio Cortonam venit, ut Corpus S. Margaritae inviſeret, et coleret cum ſorore ſua, uxore Excell. D. Egani de Lambertinis, ex fratre nepotis regnantis Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. In praeclaro Opere Cl. Stoſch, in quo LXX. Gemmae antiquae Scalptorum nominibus inſignitae adferuntur, et inluſtrantur, altera Gemma ex ſimili ectypo vitreo ſui Muſei adfertur in Tab. XXXVI. cum imagine Dianae Venatricis cum cervo, cuius epigraphe HEIOY. oſtendunt *Heii* Caelatoris Gemmarii opus. Quum alteram cum hac conferre non detur, iudicium meum non profero. Idem Cl. Stoſchius alias inſignes Gemmas magno numero habet, plane dignas, ut in his Artifices antiqui praeſtatiſſimi nomen ſuum poſteris notum ſcriberent; quae etiam utinam aliquando optatam lucem adſpiciant.

CA-

CAPVT VII.

CODICES MSS. ET LIBRI ALIQVOT EDITI

Cortonensis Etruscorum Academia non solum editis Libris ad Historiam, et Antiquitatem spectantibus adundat; verum etiam egregiam Codicum MSS. supellectilem publico bono servat; quos omnes Academici, de ea optime meriti, dono dederunt, atque in dies augere certatim student. Qui has optimas merces, sicut & alia monumenta ad Eruditionem omnigenam spectantia, dono dederunt, in Corythanis Noctibus laudantur, & eorum munera diligenter describuntur. Nunc primo in loco de MSS. Codicibus sermo, qui anno hoc excurrente vel ostensi, vel dono dati sunt.

Describuntur in Nocte Cotythana III. duo magnae molis Volumina, quae Ill. Philippus de Pancratiis Academiae Etr. a Secretis dono dedit. Ea continent *Expositiones Nicolai Abbatis Siculi in Decretalia*, exaratas anno MCCCCLXXII. ab *Ioanne de Tuzzis*, oriundo ex Flandria; instante *D. Bracciolino de Baldellis* Cortonensi, dum Senis Pontificio Iuri daret operam; quae Volumina absoluta sunt Cortonae in Aedibus *D. Petri de Baldellis*.

In Nocte Coryth. XV. sequentes V. Codices MSS. observati sunt, & descripti: *Theo-*

dosii

dosii Sphaericorum libri, *a Christophoro Clavio Societatis Iesu illustrati : Libri tres :* His adiungitur: *La spiegazione del Compasso di proporzione*. Post hanc : *Il Discorso di Galileo Galilei sopra il Fiume Bisenzio*. Oritur in Vrbis Prati viciniis, & regione adiacente circumfusa, in Arnum iuxta Signam intrat. In fine legitur : *Ragionamento fatto in forma di Dialogo trà Messer Giovanni Caccini, Maestro David Fortini, e Lorenzo Albizzi, sopra il bonificare il Paese di Pisa ; concepito da Lorenzo Albizzi al Sereniss. Cardinale e Granduca di Toscana*. Hunc Codicem Academiae Etruscae donavit *Ill. Dominicus Hieronymus Venutus*, *Patricius Cortonensis*, *& I. C. Regio Fisco Praefectus*, *Mag. Ducis Etruriae a Cognitionibus*, *& Consiliarius &c.* Eius ossa condita Florentiae in Ecclesia Virginis Mariae Annuntiatae pereleganti tumulo, & hac epigraphe ornantur:

PIIS . MANIBVS
DOMINICI . HIERONYMI . DE . VENVTIS .
VIRI . CLARISSIMI .
HIERONYMI . IN . BELLO . CRETICO . TRIB . MIL.
FILII . POSTVMI.
NICOLAI . EQ . D . STEPHANI . NEPOTIS .
REGII . ETRVRIAE . QVAESTORIS.
ET . FISCO . PRAEFECTI .
PATRICII . CORTONENSIS .
N . MARCELLVS . IOSEPHI EQ . D. ST. F.
SPLENDIDISS . ORDINIS . EIVSDEM

CON-

CONSERVATOR . GENERALIS
PATRVO . DE . SE . BENEMERITISSIMO .
MOESTISSIMVS . P .
V . A . PL . MIN . LXII . OB . CIϽ. IϽ. CC. XXIX.
H . S . E .

Idem Hieronymus Venutus Cortonensi Academiae & sequentem Codicem dono dedit, hoc cum titulo *Fr. Bonaventurae Cavalerii Planorum & Solidorum Libri sex*. Hoc ipsum opus est rarissimum & ineditum. Celeberrimus Auctor *Cavalerius* illud inscripsit doctissimo Praesuli *Ioanni Ciampinio*; & adparet ipsum Auctorem exscribendum curasse; nam in fine adiuncta est *Explicatio Propositionis ad Parabolam spectantis*, quae autographam manum eiusdem Auctoris refert. Adcedunt Epistolae duae item autographae, quarum prima Romae exarata d. XVII. Decembr. an. 1627. in Monasterio S. Callisti, & continet, quam ipse tuetur; *Opinione diversa da quella di Apollodoro sopra le passioni principali delle tre passioni Coniche; dimostrando, che la sua dimostrazione posta nel Libro, conclude per tutti i Diametri delle Sezioni*. Epistolam hanc idem Cavalerius inscripsit Celeb. D. *Benedicto Castellio* Monacho Casiniensi. Altera Epistola eodem mense Dicembri, sed die VII. eiusdem anni ab eodem *Cavalerio* Romae ibidem exarata est, qua *Castellio* gratulatur, quod in Romano Gymnasio Cathedram obtinuerit, & suum Opus recognoverit Censoris no-

nomine; mox ſuperius memoratam opinionem ad eum miſſam ſubnectit.

Alter Codex ad Bibliothecam Academiae pertinens, haec continet: *Trattato della Cifra Aſtrologica, ovvero Principio della Geomanzia.* Conſtat pag. 42. mox ſequitur: *Trattato della Geomanzia diviſo in quattro Libri*. Conſtat pag. 283.

Obſervatus eſt etiam in eadem Nocte Coryth. XV. Codex eiuſdem Ac. E. in quo continentur *Varie Riforme degli Statuti della Città di Cortona*. Prior Reformatio facta eſt anno 1580. imperante Franciſco I. Magno Etr. Duce, quam aliae mox ſecutae ann. 1583. 1586. 1589. 1589. comitantur, cum Indice Capitulorum. *Generalis Reformatio* facta eſt imperante Ferdinando II. Mag. Duce Etr. complectitur Capita LXXXI. Cum his copulantur variae *Addictiones*, mox ſecutae. Adcedunt: *Deliberazioni, Ordini, e Statuti fatti da XII. Deputati nell' anno 1648. ſopra gl' intereſſi della Città di Cortona*: adiectis *Addictionibus* mox ſecutis ann. 1649. 1652. 1655. Hic Codex ſcriptus eſt ab Equite Curtio Baldellio.

In Coryth. Nocte XVI. expenſus eſt Codex membranaceus, ſpectans ad Academiam Etr. cuius titulus in exteriori operimento ſcriptus, ita ſe habet. *Brevis, ſeu Matricula Notariorum ab anno* 1321. *ad an.* 1513. Deſunt in principio paginae aliquot. Incipit a pag. 19. ubi exhibetur: *Confirmatio Collegii Notariorum Vrbis Cortonae, & eorum Privilegiorum facta die x. Marii an.* 1417. *a Bartholomaeo Nerii F. de Pittis, Capita-*

pitaneo Cortonensium, *per rogitum Angeli Cenni F. ab Ambra-Nova Vallis Ambrae*, *Notario eiusdem Capitanei*. Sequuntur Confirmationes privilegiorum usque ad pag. 21. hoc est anno 1463. dum esset Capitaneus Cortonae Cyprianus Clementis F. de Sernigis. Electi sunt, ut eas probarent, a Generali Concilio, *Thaddeus Guidonis F. Franciscus Bartholomaei F. de Zaccagninis*, & *Michael Angelus Bertini F. Bartholomaei N. ex rogitu Ser Lamberti Ser Cocci F. de Lamberteschi*, *Notarii eiusdem Capitanei*. Pag. 26. anno 1492. plenis suffragiis in Collegium Notariorum cooptatur *Ser Panezius Honesti F. Bertini N. de Pandorzis*. &c. pag. 27. anno 1513. recensentur Nomina Notariorum Cortonensium de Collegio. Pag. 32. adfertur Album vetustius Notariorum omnium Collegiatorum, quod incipit ab anno 1363.

Ioannes Comes Serninius Eques Hierosolymitanus ostendit chartaceum Codicem suum scriptum anno 1591. a D. Hasdrubale Domini Ludovici Sernini Cucciatti Nobilis Cortonensis, ex alio MS. *Di Guido di Pierbonciano di Niccolò Tartari*, *o Vagnotti*. In eo continetur *Brevis Artis*, & *Collegii Notariorum de Cortona*, *Anno Domini MCCCXXI*. Quae in hoc Codice adferuntur, Academici Etrusci, omnia diligenter exscribenda iusserunt, & merito quidem; quum ex his multa ad Historiam patriam, & Familiarum Genealogias inlustrandas hauriri possint. Catalogus Notariorum desinit in numero anni MCCLII. in quo recensetur *Bonaccursus de Sarsiola*.

E Ioan-

In Nocte Coryth. XXIV. sequentes Codices observati, ac descripti sunt: Codex chartaceus cum hoc titulo rubro colore inscripto: *Opinione di Leonardo da Vinci*. Idem Codex & haec complectitur: *Modo di dipingere Prospective, Ombre, Lontananze, Altezze, Bassezze da vicino, e da lontano, e altro*: & *Precetti di Pittura*. Paginae sunt 291.

Alter Codex multa ad usum Cabalistarum continet. Incipit adlata Tabula, quae inscribitur: *Ludus Pythagoricus*. Sequutur alii Ludi, Rotae, & Tabulae. Mox: *Cabala di cinque Domande, e Quesiti: Cabala per gl' Infermi: Luogo della Luna: Sphaera Hermetis & Pythagorae: Biantis prophetiae*. Trattato della Caba-
„ la: modo di praticare un altra Cabala.
„ Modo di leggere le Cifre, mox & aliae Ta-
„ bulae Cabalisticae „ ad decipiendum ignorantes homines, & ad pecuniam ex iisdem conradendam.

Nocte Coryth. XL. Codex Sellarianus optimae notae iterum expensus est, & complura ex eo excerpta, & notata. Chartaceus est, Saec. XV. exaratus. In eo haec continetur *Leonardi Bruni Arretini*, Viri litteratissimi, & fama nominis celeberrimi, *Opera*.

1. *Versio Latina Oeconomicorum Aristotelis ad Cosmum Medicem Virum Clarissimum*. Excusa est una cum versione *Politicorum* Basileae anno 1538.

2. *Versio Latina Libelli Xenophontis, cui titulus* Tyrannus. Hoc opus elegantissimum nondum in lucem prodiit, teste Cl. *Lauren-*

tio

tio Mebus S. E. qui in Epiſtolarum Brunianarum editione adnotat, hoc ipſum opus abſolviſſe die XVI. Maii anno MCCCCIII.

3. Verſio Latina Libelli Magni Baſilii, cui titulus: *Ad Iuvenes Religioſos, quibus ſtudiis opera danda ſit*. Prodiit non ſemel in lucem.

4. *Verſio Latina Fabulae Ioannis Boccaccii de Tancredo Principe Salernitano, hoc eſt de Guiſcardo, & de Sigiſmunda Tancredi Principis filia.*

5. *Priſciani de Figuris numerorum, & ponderibus, Liber ſingularis.*

6. M. T. Ciceronis Epiſtola ad Q. Fratrem, quae incipit: *Etſi non dubitabam* &c.

7. *D. Hieronymi ad Amicum aegrotum Epiſtola.*

—— Eiusd. *de Captivo Monacho Epiſtola.*

—— Eiusd. *ad Marcellam, ne contriſtetur de morte Bleſillae, Epiſtola.*

—— Eiusd. *de honorandis parentibus Epiſtola.*

—— Eiusd. *ad Euſtachium virginem de tranſmiſſis muneribus, Epiſtola.*

Planctus, ſive lamentum Origenis a Beatiſſimo Hieronymo Presbytero de Graeco in Latinum translatum.

Libellus Hieronymi de Monogamia ad Ageruchiam.

Mox adferuntur Epiſtolae *Gaſparis Regii, Silveſtri Cortonenſis, & Nicolai Cortonenſis, Guidonis Grammatici, Sanctis Cortonenſis, Fr. Alberti Sarteanenſis, Marci Marruſii Siculi* Epiſtolae & Carmina; de quibus infra.

Sequuntur eiusdem Leonardi aliquot Epistolae, ex quibus aliquot editae a Mehus. Inter has hae ineditae infra bono Reipublicae Litterariae adferentur. 3. *Non ago tibi gratias* 4. *Gravem & atrocem accepi nuntium* 5. *Vix dici potest*. 7. *Illustrissime, atque egregie Domine*. Mox sequitur: *Epitaphium Braccii per Leonardum Arretinum.*

Transivi intrepidus per mille pericula Martis;
Nec acies ferri, nec vastis moenia fossis,
Meatus tenuere meos. Domat omnia Virtus.

Eadem Nocte XL. in Bibliotheca Sellariana ex variis Codicibus MSS. plurima alia ab eruditis Sociis exscerpta, & transcripta fuere; quae nisi hoc in Volumine retulissem, parum aut nihil de Clarissimorum Virorum demortuorum gloria sollicitus viderer, & Literariae Reipublicae utilitati non consuluissem. Sed de his luculenter inferius erit dicendi locus.

Dum sermo incidisset de Atlante Geographico Stoschiano, de quo superius nonnulla adnotavimus Cap. II. scriptum est, eius Geographicam Bibliothecam in dies miro studio & labore augeri Chartis ac Tabulis perraris, & quidem permultis magni pretii. Constat fere CCC. magnis Voluminibus in charta maxima, in quibus percommode accurata serie digestae spectari possunt Tabulae, vel aeri incisae, vel a Pictoribus delineatae Ichnographicae, situs Regionum, nomina earum, & celebriora singularum Vrbium Aedificia, Palatia, Ecclesiae, Fora,

ra, Horti, Fontes; insigniores pictae Tabulae tum Ecclesiarum, tum Pinacothecarum: Antiqua Toreumata marmorea, quidquid denique & instruere, & oblectare Eruditorum oculos potest. Inter haec XL. Volumina Romam aeternam Vrbem cum sacram tum profanam, & vetera eius Monumenta per singulas Regiones distributa cumulatissime exhibent; qua Collectione & ipsi maximi Reges, si haberent tam accuratam & locupletem, valde gloriari possent. Vix Tomus ad singula describenda sufficeret.

Ostensus est in Nocte Coryth. XXV. perrarus liber *Venetiis* editus *per Heredes Francisci Rampazzetti* anno 1579. qui praeter *Grammaticam*, cuius auctor est *Hieronymus Capharus Salernitanus*, continet etiam *Tractatum de conficiendis Epistolis*. Adferuntur Epistolae aliquot scriptae a Philippo Venuto Nobili Cortonensi & aliorum ad eum, & ad eius Fratrem. Pag. 19. scribit: *Maximus Bragadenus Philippo Venutio*. Pag. 23. a t. *Philippus Venutius Camillo Gualterio Romano*. Pag. 31. a t. *Hieronymus Capharus Hieronymo Venutio Cortonensi*. Vbi inter cetera haec: *Tuum itaque si nomen, si domum, si familiam, sique genus Venutiorum, quod esse clarissimum non ignoro*. Sequitur alia: *Ioannes Bragadenus Hieronymo Venutio S. D.* Alteram scribit *Philippus Venutius Caeciliae Fiordeligiae Venutae*; & tandem Epistola Regia, in qua *Franciscus* II. Galliarum Rex Christianissimus adcit ad se *Philippum Venutum*, eique privilegia, & indulta familiaritatis largitur: *Franciscus Rex Gallorum Philippo Venutio S. D.*

Parisiis 1568. Ipsum Regem adiisset *Philippus* ni praepropera Regis mors contigisset. Idem *Philippus* connubio sibi iunxit Nobilem Feminam D. Lucretiam Minio Venetam, filiam Senatoris Almoro Minii. Eius frater Hieronymus uxorem accepit D......... Brancacciam Nobilem Cottonensem, e quibus orti Eques Nicolaus, ex hoc Hieronymus Centurio maior; ex hoc vero Ioseph Eques, & Dominicus Hieronymus I. C. Regio Magni Ducis Etruriae Fisico Praefectus; ex Equite vero Iosepho Eques & Marchio Nicolaus Marcellus Venutus & fratres eius, viri ornatissimi. Hunc librum ostendit Cl. Nicolaus Vagnuccius A. Etruscus, & Patricius Cortonensis.

Epitaphium adpositum Sepulcro marmoreo praelaudati Cl. Viri Dominici Hieronymi de Venutis supra dedimus pag. 62., quod ornatum eius imagine, protoma nempe marmorea, & gentilitio stemmate, ex opificio Hieronymi Ticciati Sculptoris & Architecti Florentini percelebris, spectatur, ut diximus in Claustro PP. Servitarum D. Mariae ab Angelo Annuciatae Florentiae.

Dono datus est a D. Laurentio Venuto Patricio Corton. Codex MSS. ita inscriptus: *Il B. Guido da Cortona dell Ordine di S. Francesco. Opera Scenica del P. M. F. Fratini Cortonese, dell' Ordine de' Servi, Accademico TOPISTA; recitata dagli stessi Signori Accademici per la Festa di esso Beato, dedicata all' Illustriss. Sig. Ugolino Borboni, de' Marchesi di Petrella.*

Co-

Corythanae Noctis XLII. eruditae vigiliae dum agerentur de more, dono datus est Academiae Etruscae Codex MS. ita inscriptus: *Lezione di Francesco Peccetti Celestini da Cortona, fatta nell' Accademia de' Sepolti in Volterra, sopra la Cometa, il dì 28. di Ottobre 1607.* Idem Auctor librum edidit in folio, inscriptum *Chirurgìa di Francesco Peccetti Celestini*, & alia non pauca scripsit, quae adservantur in domestica lectissima Bibliotheca Cl. Sellarii A. E. qui ab heredibus Celestinis, anno MDCCXXXVI. totam eius Bibliothecam sibi comparavit; in qua complures optimi Codices, quos habet, reperiebantur. Hi Codices additi reliquis, quos a Maioribus suis domi relictos invenit, & his, quos multo studio frequenter sibi comparat, insignem Bibliothecam MSS. Codicum selectorum conficiunt; e quorum numero non paucos nuper initio anni XVI. inclutae Societatis Columbarie Florentinae, me praesente, Sociis ostendit; inter quos duo Chartacei Codices in folio memorabiles observati sunt; quorum alter circa dimidium Saec. XIV. exaratus, continent Etrusca Lingua versas *Vitas SS. Patrum*; alter vero membranaceus, continet Prosa Etrusca versas *Heroidum Epistolas Ovidianas*; qui Codex picturis ornatus, scriptus Saec. XV. censetur. Codices Sellariani ad hoc tempus numerum CXXX. excedunt.

Ad Academiam Cortonensem pertinentes duo Codices MS. in folio spectati sunt in Coryth. Nocte XLIX. quos exscripsit praelaudatus Abbas Honuphrius Baldellius A. Etruscus mu-

nificentiſſimus. Hic eorum titulus: *La Regina Invitta Trionfatrice de' Viventi, la quale fu di ſua poßanza pompoſa, moſtra in XVIII. ſuoi tragici Trofei; e ſi vedon tutti quelli, che ſono ſtati violentemente levati dal mondo, con più Tavole copioſe, raccolte da diverſe Storie, e meſſe inſieme da Franceſco Tommaſini dal Monte Sanſavino in Toſcana.*

In Nocte Coryth. VI. viſus eſt Cod. MS. cuius per typos evulgatio prohibita a Coſmo III. Mag. Duce Etruriae, qui ita inſcribitur: *La Bugia Smaſcherata, ed il Correttore corretto nella Riſpoſta data alla Lettera dell' Eecellentiſs. Sig: Dottor Antonio Meſſeri Medico Condot. di Prato.* „ *Sentimento del Dottor Giuſeppe Noletti, Filoſofo, e Medico Parmigiano, col quale moſtra manchevoli, e irragionevoli gli Argomenti co' quali il Signor Dottor Meſſeri preſume di abbattere le forti Concluſioni; e ſulle Dottrine eſpoſte nell' Opere del Signor Dottor Gio: Paolo Ferrari ſopra gli errori dell' Empirica, Opera Poſtuma.*

Marchio Venutus ex domeſtico ſuo Tabulario plures adtulit Codices vulgo *Protocolli*, ex quibus varia monumenta hauſta ſunt; quae tum Sacram, tum Civilem vetuſtiſſimae Vrbis Cortonae Hiſtoriam inluſtrant, de quibus non pauca inferius.

Dum ſermo non ſemel habitus eſſet de *Antiquitatibus Herculanenſibus* in Nocte Coryt. XXXIV. adnotatum eſt, haud multum plane fidendum, ſed caute omnia expendenda eſſe, quae deſcribuntur in celeberrima Tabula Peutin-

tin-

tingeriana. Id ut perſpicue pateat omnibus, adfertur Articulus Epiſtolae ſcriptae a Cl. Philippo L. Barone De Stoſch die XIX. Iulii huiuſce anni 1749. ad Academicum Etruſcum amicum ſuum: En eius verba: *Io, che conoſco la Tavola ſteſsa in Cartapecora, che io ſteſſo ritrovai in Auguſta, e feci poi comprare al Principe Eugenio l' anno 1717. vi poſso dire in primo luogo, che biſognerebbe ricopiarla tutta di nuovo, e farla riſtampare tale quale ella è. In ſecondo luogo, vi devo avviſare, che i nomi proprj ſono ſcritti di un' inchioſtro nero; ma le linee, ed i numeri, che ſegnano le diſtanze, ſono di inchioſtro roſſo, e ſono ſoggetti a grandiſſimi equivoci, per eſſere ſaltato via in molti luoghi quel color roſſo, che era di minio, e gomma, e molto meno tenace del color nero, che ſi è incorporato nella Cartapecora, e per conſeguenza ha patito poco; onde è ſtato facile, che all' occhio del traſcrivente il numero VI. gli ſia parſo XI.* &c. Huius ocularis obſervationis licet inſcius §. XII. ubi *Admiranda Antiquitatum Herculanenſium* primus deſcripſi, & inluſtravi, pag. 114. in Tom. 1. Symbolarum haec tamen adnotavi: *Igitur emendanda Itineraria, Tabula, quam ſupra adtuli pag. 14. ubi pro* HERCVLANEVM XI. *reponendum eſt* VI. Herculaneum *a Neapoli diſtare* (Cluverius) *adſerit milliaribus ſex tantum*: quod mendum valde perſpicuum anſam dedit ambagibus, & futilibus ſermocinationibus de ſitu HERCVLANEI.

CA-

CAPVT VIII.

SIGILLA AEREA OBSIGNATORIA MEDII AEVI.

MAgno praesidio atque adiumento ad Historiam cum Sacram, tum Civilem, praesertim patriam, inlustrandam sunt, omnium Eruditorum consensu, SIGILLA OBSIGNATORIA medii aevi. Celeberrima Cortonensis Academia iam centum in suis Cimeliis recondita, optimaque serie digesta publico bono possidet. In Volumine I. Noctium Corythanarum quinque Sigilla describuntur: in Vol. II. duo: in III. decem & septem: in IV. duo: in V. septem: in Volumine vero VI. quod nunc expilamus, exordio facto a Sigillo sub numero XXXIV. reliqua usque ad integram Centuriam, quum ab Academicis Etruscis ostensa essent, breviter describuntur. Cupiebam heic integram Centuriam proferre; sed quum singula eruditis observationibus egregie ornaverit Clariss. I. C. Reginaldus SELLARIVS, hanc spartam ei lubenter relinquo, quum sit patriae Historiae Cortonensis, eiusque veterum monumentorum scrutator peritissimus. Quum autem ipse litterariae Reipublicae bono mihi permittat, ut ea tantum Sigilla, quae in hoc Volumine proposita sunt, breviter recenseam; ne tam eximium huius Voluminis decus praeteream, heic muneri meo faciam satis. Pleraque

ex

ex his Sigillis ad Academiam Etrufcam pertinent, nonnulla ad Academicos Etrufcos, quorum nomina ibidem laudata a me quoque laudantur. In hifce Sigillis frequenter folitaria & fingularis littera S. expreffa, quod iam notum eft, *Sigillum* fignificat.

I. Sed in Serie in Volum. XXXIV.

S. CVRIE EPISCOPATVS CIVIT CASTELLI. Emblema eft paftoralis baculus & mitra. Figura rotunda, Exftat Florentiae inter Cimelia D. Palmerii Pandolfini, Patricii Flor. Soc. Col. Pag. 60.

XXXV.

Sigillum maximae magnitudinis, lauri folium referens, in quo fculptus *equo infidens S. Georgius*; *adftat Vir tunicatus*: *infra* R*eligiofus orans*, *flexis genibus*. Epigraphe: SIGILLVM. MON*afterii*. S*an*C*t*I. GEORGII. DE LVCA. FACTVM T*em*P*or*E. D*omi*NI. VGONIS. CARDINALIS. GERMANI. D*omi*NI. N*oft*RI PAPE. nempe Clementis VI. Exftat in Mufeo Stofchiano. Defcriptum pag. 60.

Poftulat perinfigne hoc Sigillum non breves notas, fed commentarium: de quo non pauca nuper ad Cl. Mannium, & ad me fcripfit Vir Eruditiffimus Bernardinus Baronius, Nobilis Lucenfis, egregius patriarum Antiquitatum Inveftigator, & Interpres. Antiquiffima eft huius Ecclefiae fundatio; nam in Archiepifcopali Archivo Lucenfi adfervatur monumen-

mentum membranaceum sub numero ✠ G. 91. anno secundo Desiderii Regis, Indict. IX. quibus annus circiter DCCLX. indicatur. In eo legitur quod *Sassilus*, Antichini bonae memoriae filius, bona sua reliquit pro remedio animae suae variis Monasteriis & Ecclesiis in Civitate Luca positis, & inter has Ecclesiae S. Georgii, cuius Monasterium in hoc Sigillo nominatur. Haec Ecclesia anno MLV. ab Henrico & Rolando, fratribus, & civibus Lucensibus, donata fuit, quod ad eos pertineret, Monasterio Cassinensi, e quo missus est Vir Religiosus nomine Ioannes, qui in hoc Lucensi fundaret Ordinem Benedictinae Religionis; quod colligitur ex Chronico Monasterii Cassinensis, rursum edito a Cl. Muratorio Tom. IV. Scriptor. Rer. Ital. pag. 405. in quo habetur, quod *per hos dies Henricus & Relandus germani Fratres Lucensis Civitatis, Viri Nobiles, obtulerunt in hoc Monasterio* (hoc est Montis Cassini) *Ecclesiam S. Georgii, quae intra eandem Civitatem in eorum patrimonio sita est*; ad quem locum, qui totus heic exscribendus erat, lectorem mittimus. Haec Ecclesia, & Monasterium S. Georgii anno MLXXXVIII. adiunctum sibi habebat Hospitium pro peregrinis. In Bullario, exarato & digesto a Basilio Serenio, Mediolani edito, anno MDCVI. recensetur Bulla Innocentii II. qui iubet, ut Ecclesiae S. Frigdiani Lucensi, hoc est Othoni & suis Fratribus restituatur Parrochialis Ecclesia, quam violenter usurparant Monachi S. Georgii Lucensis. In Claustro huiusce Monasterii adhuc exstat, & visitur

ſitur anaglyphum, in quo ſculptus Monachus Benedictinus, cum hac epigraphe,

A. D. MCCLXXXVI.

TĒPORE . ALDEBRANDI -P-EPOSITI FACTV̄

Ē. h̄. OP.

Anno MCCCXXXIII. a Monacho Ord. S. Benedicti retinebatur, qui Praepoſitus vocabatur.

XXXVI.

SIGILLVM . ORLĀDI . PRIORIS . SANCTI . DONATI . *Gryphs alatus repens* . Inventum eſt in Agro Cortonenſi . Exſtat penes Equitem Ioannem Baptiſtam Mancinium, Patric. Corton. Deſcriptum pag. 85.

XXXVII.

Sigillum SOTIETATIS . DISCIPLINE. D'. MONTE S*an*Ct*I* . SAVINI. *Imago Chriſti Crucifixi*. Exſtat apud *D. Antonium Baldium* Cortonenſem, Muſices Profeſſorem peritiſſimum . Deſcriptum pag. 97.

XXXVIII.

SIGILLVM COMV PO DE ANTAIVOL. *Sigillum Communis Populi de Antaiolo* . Fig. rotund. Stemma cum tribus enſibus, mucrone deorſum verſo. Inter Cimelia Academ. Etr. Cort. cui dono dedit Ill. Marchio Venutus . Deſcriptum pag. 202.

Si-

XXXIX.

S. FILIOR BARTOLOMEI DE AMIANO DE PIS. *Insigne gentilitium*. Cl. Sellarius A. E. dono dedit. Pag. 202.

XL.

Sigillum RAIMVNDO . DEI . ET . APOLEM . SEDIS . GRA*tia* EPI*scopi* SORANI. Vide Cl. Mannium, qui observat Sigilli Artificem erraſſe Tom. III. Sig. I. Cl. Vghellius hunc *Soranum Episcopum* non recenset. Inventum est a rustico in montibus Cortonae an. 1729. Sibi comparavit Marchio & Eques Venutus, A. E. Descriptum pag. 202.

XLI.

Sigillum RECTOR*um* MVNITIONIS CASTROR*um* . COM*munis* . SEN*arum* . *Insigne Fortilicium cum turribus*. Ostendit Cl. Sellarius, penes quem in domestico Museo exstat. Descriptum pag. 203.

XLII.

S. CAPLI . MŌAR . SCI LAVRECII D' CVLTVBONO . *Sigillum Capituli Monasterii Sancti Laurentii de Cultubono*: nunc *Coltibono*. Fig. rotund. Insigne: *Manus chirotheca amicta, quae magnum Calicem tenet super Altare*. Pertinet ad insigne Monasterium Congregationis Vallisumbrosae in Etruria; apud eumdem Sellarium. Dedicata est Ecclesia S. Laurentio Levitae & Martyri, ad quem adludit Calix

su-

ſuper ſacram Menſam ; qui Xyſto Epiſcopo Eccleſiae Dei, dum ad Martyrium duceretur, flens dixit : *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*: uti in Lib. I. Cap. XLI. Offic. S. Ambroſii memoratur. Hodie in Sigillo, quo Religioſi Aſcetae Coltibonenſis Monaſterii utuntur, pro calice, ſculpta eſt crates ferrea, in qua uſtus martyrium ſubiit idem fortiſſimus Chriſti Athleta.

LXIII.

S. VANNVCII SCITI D' TVI. Fig. rot. Inſigne *Circulus in parte inferiore ; in ſuperiore vero duo* ; apud eundem Sellarium. Deſcriptum pag. 206.

XLIV.

SIGILLVM EPISCOPALIS CVRIE CORTONENSIS. Fig. oval. *Baculus Paſtoralis in medio duarum Mitrarum*. Exſtat in Muſeo Coratio cum quatuor & vignti ſequentibus.

XLV.

S. COMVNIS DE TORRITA. Fig. rot. Inſigne: *Leo rapax, ſiniſtra florem oſtentat*.

XLVI.

S. CAVALCĀTIS ARCI. PBRI. D' CORTON. Hoc eſt : *Sigillum Cavalcantis Archipresbyteri de Cortona*. Fig. oval. *Virgo Mater Dei ſedens cum Ieſu in gremio : ſub qua iunctis manibus idem Archipresbyter orat*.

S. IO.

XLVII.

S. IOHIS GVIDONIS ALFERII D'POGIONE. Fig. Triangul. *Quinque monticuli pyramidem formantes*. Cl. Mannius illuſtravit Tom. XVI. num. 7. pagin. 79. Deſcriptum in pagina 206.

XLVIII.

S. FRANCISCHE VXORIS GVIDONIS MARCHIONIS D' VALIANA. Fig. oval. *Virgo Mater Dei ſedens cum puero Ieſu in ulnis: ſub qua eadem Matrona orat iunctis manibus, capite velato*. Hoc tempore Domini Marchiones de Monte obtinebat Valianam, & alia Caſtella Pag. 207.

XLIX.

S. FRATERNITATIS SANTI ANSANI D' SENIS 1436. S. Fig. oval. *S. Anſanus ſtans dextra palmam, dextra vexillum tenens*. Littera S. poſt 1436; initialis forte eſt, ut indicet *Salutis*. Pag. 207.

L.

S. D. ANT. DE CIONCOLARIIS V. I. DOC. CORTON. hoc eſt: *Sigillum Domini Antonii de Cioncolariis Vtriuſque Iuris Doctoris Cortonenſis*. „ Caſſis gentilitia in cuius ver-
„ tice aper elatis pedibus ſub caſſide clypeus
„ cum inſignibus DD. Cioncolariorum Corto-
„ nenſium, cum faſcia, quae per medium di-
„ vidit ipſum clypeum. Pſittacus in ſuperiore

„ par-

„ parte, cui imminent tres stellae. In parte „ inferiore tria septa transversim. Pag. 207. „

LI.

S. PRESBITERI. GVIDONIS. DE VRSARIA. Fig. oval. *In summitate scuti templum: in medio ursus; inferius arbor*. Pag. 207.

LII.

S FRANCISCI PLEBANI PLEBIS DE CRETI. Fig. oval. *Sanctus cum casula orans brachiis expansis*. Haec Plebs adhuc exstat in Agro Cortonensi. Pag. 207.

LIII.

S. COLVMBE ABATISSE MONASTERII S. MAFFEI. Fig. oval. *Angelus stans*. Pag. 207.

LIV.

S. FIDANTIE CAN. BASILICAE PCIPIS APL'OR. D' VRB'. Hoc est, *Sigillum Fidantiae Canonici Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe*. Fig. oval. *Templum, in cuius vertice B. V. M. Annuntiata: intra Templum, sive Basilicam, S. Petrus, qui sinistra clavem tenet, dextra benedicit. Infra idem Canonicus orans flexis genibus*. Pag. 207.

LV.

S. FRANCISCI PORIS: S. M. MAIORIS. Fig. oval. *B. V. M. sedens cum Puero Iesu. Sub ea idem Prior flexis genibus orans*.

Pendet post eius homeros magnum capucium. Pag. 207.

LVI.

S. MATEO . DI . CENNIO . PALMIERI. Fig. oval. Sigillum hoc eſt argenteum, in quo Sarda antiquo opere ſculpta inſerta eſt. Exhibet feminam ſeminudam, ante quam adſtat Satyrus tibiis canens. Pag. 207.

LVII.

S. IOHIS DE KREINFELT. Fig. rot. *Duae Stellae in parte ſuperiori, faſciae intermediae; ſubtus alia ſtella.* Pag. 208.

LVIII.

S. RVSTICI BONCONSILII. I. V. D. In Scuto teſſerulae.

LIX.

S. ROGERII MALORIV. Fig. rot. *Quinque faſciae per longum; ſuperne tres mitrae.* Pag. 208.

LX.

LAVRENTIVS CLARI. Fig. rot. *Caſſis cum pennis, cuius vertex in caput aquilae deſinit. In ſcuto Aquila alis expanſis.* Pag. 208.

LXI.

MEO. DI NIGI. DE. TALOMEI. Fig. rot. *Scutum cum ſaſcia in medio; ſuperne duae Lunae ſalcatae; infra una tantum.* Pag. 208.

S. VGO-

LXII.

S. VGOLINI DNI RAINERII. BERI. Fig. rot. *Magnum aedificium turribus munitum, cuius porta patens est*. Pag. 208.

LXIII.

S. SIMELLI FILIPPVCII. Fig. rot. *Sigillum Simonelli Filippuccii. Scutum cum magno lilio*. Pag. 208.

LXIV.

S. PRATO. PAGANVCCI. Fig. rot. In ſcuto ſculptum P. Pag. 208.

LXV.

S. MICHAEL .... D' OPOCTENDIA. Fig. rot. *Angelus ſcutum tenens, in quo tres caſſides ſculptae, duae ſuperius, tertia inferius*.

LXVI.

SIGILLVM DNI ANTONII EPISCOPI DEI GRACIA REGINI AME. Fig. ov. magnitud. inſignis. *In aedicula veteris architecturae ſculpta ſedet B. V. Maria cum Puero Ieſu. Infra idem Epiſcopus Pontificio amictu, flexis genibus orans: hinc inde duo ſtemmata ſimillima cum corona*. Pag. 208.

LXVII.

S. D. DAMIANI. DEI. GRA. EPI. NIC. D. N. LEGATI. DE LATE. S. NP....... ARII. Fig. oval. & magnit. inſigne. Pag. 208.

Hoc est Sigillum Domini Damiani Dei gratia Episcopi Niceni. Domini Nostri Legati de Latere . . . .
„ Sanctus intra aediculam, sub qua idem Epi-
„ scopus mitra ornatus stat cum baculo Pasto-
„ rali. Hinc inde duo parva stemmata. „

LXVIII.

S. MARTINI DE RVAVLO VRTELICI. Fig. oval. *Super arborem nidus, ubi pellicanus proprio cruore pullos suos pascit ; sub arbore ovis.* Pag. 209.

XIX.

S. MONASTERII SCE MARIE NOVELLE D' MONTE POLITIANO I PODIO . EX. PORTA GRACCIANI. Fig. oval. *Beatissima V. M. ab Angelo annunciata ; sub qua Monialis flexis genibus, iunctisque manibus, velato capite orat.* Pag. 209. describitur.

Observatum est in Noct. Coryth. Vol. V. pag. 159. alterum Sigillum cretae impressum, cuius archetypum intercidit. Sculptura est praeter morem pulcherrima ; & ex eo discimus antiquitus in monte Politiano extra portam Gracciani extitisse Monastetium & Ecclesiam Sanctae Mariae Novellae. Ectypon exstat in Museo Coratio.

Videnda supersunt XVI. Sigilla nunquam antea observata in hisce Noctibus, quae exstant in Museo Academiae Cortonensis. Priora quatuor, idest LXX. LXXI. LXXII. & LXXIII. ovalis sunt figurae, reliqua sphaericae.

S. POIS

LXX.

S. PŌIS (*Prioris*) MONASTĒI . SCI . SALVATORIS . DE . AQVA . BONA . *Salvator ſtans dextra benedicit, ſiniſtra tenet volumen.* Pag. 209.

LXXI.

S. CRISTOFORI . ABBATIS . ABAZIE . SCI. LAVRENTII D' ABDINGHESCA . *S. Laurentius ſtans dextra palmam, ſiniſtra librum tenet.* Pag. 210.

LXXII.

S. GVERRE . PLEBANI . PLEBIS . SANCTE MARIE D' PACINA . *In Sacello B. V. M. cum puero Ieſu ſedens cernitur: infra ſtemmata.* Ibidem.

LXXIII.

SIGILLVM CAPITVLI ET D. PLEBANI S. M. AD MONTEM. *Decem Seraphinis circumdata eſt Deipara Virgo: infra in puro ſtemmate tres monticuli.* Ibidem deſcriptum. Quae ſequuntur ſunt rotundae figurae.

LXXIV.

FRANCISCO. *Stemma ornatum teſſerulis, & interiectis liliis.* Ibidem in Anulo.

LXXV.

S. F. SERGII . DE SIRIPANDO . ARMIRATI RHODI P. SCTE EVPHIE DE ....

.... Hoc eſt : „ Sigillum Fratris Sergii „ de Siripando Armirati Rhodi , Praeceptoris „ Sanctae Euphemiae de .... *Hae litterae ſunt in gyro ; aliae quamminimae in taeniolis volitantibus . Ex his taeniolis altera circumdat caſſidem ; altera circumvolvit enſem cum mucrone deorſum , ſub quo in taeniola ſcriptum : CHI COSI' VOLE COSI' ABBIA. In altera taeniola ob litterarum minimarum exiguitatem quid ſcriptum ſit expiſcari minime potuit . Ex caſſide eminent plures pinnae , & lupus ovem enecans . Sub caſſide ſtemma in quo leo rapax ; e regione eiuſdem Luna falcata , quod eſt eius ſtemma* . Dum aliquos eruditos Viros interrogarem , ex his aliqui putabant in Siciliae Regno extare *S. Euphemiam* , cuius hic Inluſtris & Religioſus Eques fuit Praeceptor ; qui Ordinem Sacrum ingreſſus eſt anno MCCCC-XXXVIII. Huius Sigilli explicationem doctus aliquis Eques Hieroſolym. nobis exhibebit . Sigillum hoc cum aliis dono dedit Acad. Etr. Cl. Marchio & Eques Venutus .

LXXVI.

SIGILLVM MADONNA GRACIA DE ∴ litterae aliae nullae . *Stemma bifariam diviſum ; in ſuperiore parte Draco exſerta lingua ; in inferiore teſſerae compoſitae* . Stemma indicat forte hanc mulierem *Gratiam* eſſe ex familia *de Dracone* pag. 211.

S. PE-

LXXVII.

S. PERI. DE. PETRAMALA. *In Stemmate trino ordine eminent tesserulae, in primo tres, in secundo duae, in tertio una. Stemmati imminet magna Aquila Imperialis*: ad denotandam ex Imperio dependentiam defuncto Guidone de Petramala; nam Petrus, cuius fuit hoc Sigillum, Arretii Dominus evasit anno MCCCXXVII. Vide Tom. VIII. Annal. Murator. pag. 155. Descriptum ibidem.

LXXVIII.

CRISTOPHORVS SABELLVS. *Stemma bifariam divisum a fascia transversim, supra quam duo leones, qui pedibus anterioribus pilam tenent, cui pilae imminet avis. Sub fascia vero tres aliae transversae.* Descriptum ibidem.

LXXIX.

S. LODOVICI. CECCARELLI. *Tres fasciolae undulatae occupant scutum.* Sed notandum, quod in parte superiore sculptum est Stemma Nobilis Familiae Baldelliae Corton.; quod forsitan incidendum curavit Cl. Abbas Onuphrius Baldellius, qui Academiae Cortonensi Museum suum dono dedit, & Sigilla XVI. in quorum numero ex hoc recensetur. Ibidem.

LXXX.

S. GVILLEME. VIOVL. *In stemmate Gryps rapax.* Ibidem descriptum.

LXXXI.

S. VANIS (*Vannis*) FIL'PPI BONACVRSI. *Stemma, in quo tres fasciae transversae; hinc inde tigres duae.* Ibidem.

LXXXII.

S. GVILL'IMI. NOT. DE PATARIS. *Leo rapax.* Ibidem.

LXXXIII.

S. BONINI. SEOLAIVOLI. DE. MONTALCINO. *Stemma est scala media inter duas stellas: superius rastrum tessellatum.* Descriptum ibidem.

LXXXIV.

S. PVCII. VGVITIONIS. D' CASTRO NOVO. *Aedificium turritum.* Ibidem.

LXXXV.

DONATA IONE RECVTI. In area pro stemmate R. D. Ibidem.

Praeter haec Sigilla alia X. exstant in Cimeliis Academiae Etruscae, quae iam in superioribus Noctibus Corythanis descripta sunt; quae idcirco adnotata & descripta sunt, ut ab ipsis Academicis Etruscis observationibus inlustrata in lucem proferantur. Sequuntur alia Sigilla obsignatoria ostensa, & descripta in postrema Nocte Corythana quinquagesima, ut centenarius numerus impleatur.

SIL-

LXXXVI.

SILVIVS TT. S. LAVREN. IN LVCINA PRESB. CARD. CORTON. Fig. ov. Exſtat penes Illuſtr. Equit. Io. Hier. Serninium. *In parvo templo ſedet B. V. M. cum puero Ieſu: adſtat a dextris S. Ioannes Baptiſta, a ſiniſtris S. Laurentius d. palmam, s. cratem tenens*. Infra eſt ſtemma Paſſeriniae Familiae, quod tempore Leonis X. P. M. exhibebat bovem ſupra tres monticulos ſtantem; ſed ab eodem Leone X. quum Cardinalis Silvius multa acceпiſſet beneficia, & Mediceo Stemmate donatus fuiſſet, tunc Paſſerinia Familia ſub ſtemmate Mediceo iacentem bovem expreſſit; quare memoriae cauſa in Cortonenſi Aula DD. Priorum ſub picto hoc Nobilium Paſſerinorum ſtemmate ſcriptum legitur. MONTIBVS AEQVATIS. RECTVS PROCVMBIT AD ORBES. Cl. Mannius illuſtravit Tom. XIII. num. VII. pag. 58. Huiuſce verſiculi auctor fuit Ioannes Baptiſta Medalius, ſui temporis Poëta eximius, ac celebris, qui floruit ſub Leone X. P. Max. de quo nonnulla inferius adnotantur Cap. XII. ubi Cortonenſium aliquot Inluſtrium Virorum nomina recenſentur. Deſcriptum in eodem Vol. VI. Noct. Cor. pag. 126.

LXXXVII.

BER. ANGEL. DE. CORTONA. I. VTR. DOC. Fig. rot. *Tria bovina capita*. Stemma DD. Altiotiorum Cortonenſium, qui etiam *Angellierii* vocati ſunt. Cl. Mannius illuſtravit

vit Tom. XIII. num. XII. Descriptum ibidem pag. 127.

LXXXVIII.

NINVS . SERNINVS . PROT . AP . COMES . NOB . S. R. I. Illustravit Mannius Tom. XV. Num. V. pag. 45. apud eundem Serninium.

LXXXIX.

S. PETRI STROVELLA . Fig. rot. *Stemma fascia dispertitum: superius duae rotae; inferius duae catenae transversim.* In lateribus ornatur palmis. Apud eumdem: descriptum ibidem.

XC.

SIGILLVM . CONGREGATIONIS . SANCTI . NICOLAI . Fig. oval. *S. Nicolaus Myrae Episcopus sedens dextra tres globos aureos tenet, ut indicet datas a se puellis dotes: Ante eum adstat flexis genibus puella, quae globos illos accipit.* Hoc est Sigillum Sodalitii S. Nicolai Vrbis Cortonae, cuius Sodales sunt omnes nobilitate conspicui. Sequens quoque Sigillum ad eos pertinet.

XCI.

SIGNVM . SOCIETATIS DIVI NICOLAI. Fig. oval. *Clauso volumini Episcopalis mitra imposita.* Adnotandum, quod hoc Sodalitium institutum est die XV. Augusti an. MCCCCXL. ab aliquibus Iuvenibus Scholaribus, instante S. Bernardino Senensi, dum Cortonae moram traheret: cuius Constitutiones adprobavit Fr. Mat-

thae-

thaeus de Vghis Episcopus Cortonensis, ex Ordine Servorum B. M. V. Descriptum ibidem.

XCII.

T. P. D. C. Hoc est *Thomas Palei Cortona*. Editum & inlustratum a Cl. Mannio Tom. XVIII. num. pag. 84.

XCIII.

S. MONASTERII SCE MARIE . DE . TARSIA . DE . CORTONIO. Fig. oval. In *superiore area* B. V. M. *dextra pomum, sinistra puerum Iesum amplectitur*. In *inferiore Agnus Boni Pastoris hastam crucigeram tenens*. De hoc Monasterio *De Tarsia*, sive de *Targia*, differit Cl. Mannius dum explicat Sigillum Monialium *Paradisi* prope Florentiam; nam prima cuiusdem Monisterii Abbatissa adcita est ex eodem Tarsiensi MonasterioCortonae, quae fuit Soror Domini Vicarii Imperialis Cortonae.

XCIV.

LEON . PAPA Fig. rot. Recentius est superiore Sigillum hoc; sed utrumque pertinent ad Monasterium Monialium S. Clarae urbis Cortonae. In hoc pro insigni sunt *duo brachia decussata*; *superne vero Crux circulo inclusa*. Notandum est hoc ipsum Monasterium ad hoc tempus adpellari *Monastero di Targe*; quod nomen parum distat a Latino *Tarsia*. Quamvis Cl. Sellarius in suo Codice Historico Diplomatico Cortonensi scrutatus sit, & exscripserit Chartas omnes membranaceas huiusce Monaste-

rii

rii ad annum usque MCCCXXV. tamen numquam reperire potuit unde hoc nomen originem, & Monasterium hanc adpellationem acceperit; eo magis quod nullum exstat vestigium in Chart. membr. eiusdem Monasterii, in quarum una memoratum est, quod die IV. Maii ann. MCCXXV. Azolus quondam Presbyteri Ranieri donavit Coenobium Monialibus, iam ante aedificari coeptum; ea cum conditione, ut fabrica perficeretur. Rationes igitur non adstipulantur ut credamus Monasterium hoc a Fundatrice quadam dicta *Tarsia* denominatum fuisse, quod aliis investigandum relinquitur.

XCV.

S. CONVENT. MON. VGIINV-SCI. AGELI D. COT. *Sigillum Conventus Monasterii Virginum Sancti Angeli de Cortona*. Fig. oval. spectat ad Moniales Monasterii S. Michaelis Archangeli de Cortona. *In superiore area B. V. M. dextra pomum tenens, sinistra puerum Iesum amplectens. In inferiore S. Michaël hasta draconis guttur confodiens.*

XCVI.

S. CECHI. VGOLINI. Fig. rot. spectat ad easdem Moniales. Typus *S. Michaël Draconem confodiens.* Forsitan *Cechus* hoc est *Franciscus Vgolini filius* tunc erat Procurator huius Monasterii. Vtrumque Sigillum eandem aetatem referunt.

Monasterium hoc S. Michaëlis de Cortona fundavit Soror *Guelfuccia*; nam in memorato Codice Diplomatico Seltariano, in Char-

ta

ta membranacea die III. Iulii MCCCVI. legitur, quod Cardinalis Neapoleon dicit: *Cum itaque Guelfuccia de Cortona Soror Tertii Ordinis S. Francisci, sicut adserit, zelo piae voluntatis accensa quasdam Domos in dic. loco de Cortona aedificare inceperit, opere plurimum sumptuoso, sub intentione ut cum constructae fuerint, sint Monasterium Sororum Virginum sub aliqua Regula adprobata &c.* Branca Guelfuccius erat Dominus Civitatis Castelli circa annum MCCCXX. ut videre est in Annal. Muratorian. Tom. VIII. pag. 34. Hinc, ut erudite coniicit Cl. Sellarius, ex ea familia forsitan prodiit memorata Guelfuccia huiusce Monasterii Fundatrix.

XCVII.

S. GVIDONIS DIVINA MISERATIONE EPI ARETIN. Fig. oval. Pendet cerae rubrae impressum ex Bulla exarata die XXVI. Maii an. MCCCXV. eius tenoris ut infra.

XCVIII.

Magister THO*mas* DE CAIETA PCVRATOR TOTIVS ORDINIS PRAEDICATORVM. Fig. oval. pendet e charta scripta die XIII. Maii MDIV. Typus est *S. Dominicus stans*, *qui dextra lilium*, *sinistra librum tenet*. Illud notandum, quod in dicta Charta impressum est alterum Sigillum, sed parvum, ut sequitur. Is esse videtur *Cardinalis Caietanus* Celeberrimus ob edita Theologica Opera sua, & res pro gloria Romanae Catholicae Ecclesiae gestas,

ſtas, qui adlectus eſt in Collegium Cardinalium a Leone X. fuitque primus ab eo Legatus in Germaniam miſſus ad tollendam naſcentem Lutheri haereſim; quo cum plures habuit congreſſus, ſed fruſtra.

IC.

Frater THOMAS D' VIO DE CA*ieta*. Figur. oval. Typus *Leo rapax*. En igitur Stemma, quo uſus eſt Cardinalis renunciatus a Leone X. communiter dictus *Cardinalis Caietanus*, Vir doctrina & pietate praeſtantiſſimus.

C.

CAPITVLVM CATHEDRALIS ECCLESIE CORTONEN. Sigillum Fig. oval. duplici typo munitum, maiore, & minore; ſed imperitam manum, nec duobus ſaeculis antiquiorem, redolet. In utroque cernitur in ſuperiore parte *B. V. M. in nubibus ab Angelis in caelum adſumpta. Hinc inde Apoſtoli duo flexis genibus ad Virginem converſi*. Infra ſepulcrum *eiuſdem B. V. M.*

Quanta ubertate vigeat ac redundet hic campus ampliſſimo ad augendas Eruditionis opes, & omnigenam Hiſtoriam inluſtrandam ſubſidio, nemo eſt qui non videat. Hinc gratiae agendae ſunt immortales tum Sociis Cortonenſibus, tum etiam Columbariis Florentinis, qui etiam in ſuis Annalibus vetera Sigilla undique conquirentes, deſcribunt, & Cl. Mannio utriuſque Academiae Socio, cui hunc ſpartam, quam ego ipſe

iam

iam occupare coeperam, lubenti animo reliqui; immo etiam ut primum Sigillorum volumen in meis aedibus excusum in lucem mitteret, opem, & impensas ei contuli.



CAPVT VIII.

MOMVMENTA ECCLESIASTICA CORTONENSIS VRBIS ET SVAE DIOECESEOS.

QVamquam Sacra Cortonensium Monumenta non pauca in superioribus Noctium Corythanarum Voluminibus descripta, atque observata fuerint; non pauca tamen & in hoc Volumine animadversione & Commentariis digna recensentur. Exordium sumam a sacratiore Christianae Religionis Monumento, nempe a Salutifera Iesu Christi Domini nostri CRVCE; cuius notitia utinam ad me paullo ante pervenisset, quum *de Cruce Dominica* dissererem in Symbolarnm mearum III. Volumine. CRVCEM marmoream multa vetustate, atque Emblematis sacratissimis iusignem observavit Cl. P. *Vestrinius* A. E. initio mensis Martii huiusce anni, quam statim in Nocte Coryth. VII. describendam curavit. In fronte vetustissimae Ecclesiae S. Vincentii in Suburbio, quod ab eodem Sancto nomen habet, extra Vrbem Cortonam, exstat in pariete inserta CRVX. Domini marmorea, cuius extremae partes quatuor in volutas ita desinunt, ut fere Ionici ordinis capitula referant. In Medio Crucis in magno orbe, seu circulo, anaglyptico opere sculptus est Agnus Dei

Dei immaculatus: ſupra ipſum myſticae litterae ſingulares, abunde inluſtratae, ſculptae hoc modo A. ». ω. hoc eſt: *Alpha* & *Omega*: in brachiis vero lateralibus notae Evangeliſtarum typicae figurae, *Leo* & *Bos*. In ſuperiore ſuper Agni caput, *Aquila* volumen tenens ſculpta eſt. In inferiore parte ſub eodem Agno, *Vir alatus*. Sub hoc emblemate in infima parte cernitur figura humana nuda, & iacens in terra; ſed eo habitu, ut ſurgere, incipiat: cui opem fert divina Manus, quae in ſublimi adparet: quo emblemate oſtenditur Naturam humanam virtute Crucis, & Paſſionis Dominicae, auxilium, gratiam, vitam, ſalutem, & reſurrectionem accepiſſe. In baſe eiuſdem Crucis ſcriptum eſt: VBERTINVS M. F. hoc eſt: *Vbertinus Monachus fecit*: vel *Vbertinus me fecit*. Quod vero facile *Monachus* interpretari poſſit, ex eo deducitur, quod in hac Baſilica S. Vincentio Martyri & Levitae, Cortonenſium Patrono, in honorem Dei dedicata, antiquitus Monachi divinis officiis vacaverint; deinde Cathedralis evaſerit; nunc vero Parochialis ſit Eccleſia, quae teſtimonium hoc veluti primaevae Chriſtianae Religionis ſervat. Menſe Aprili huius anni eius Parochus, qui antea il *Padrino* dicebatur honoris gratia, obtinuit, ut in poſterum *Primicerius* adpelletur; quod adnotatur in Nocte Coryth. XIII. Is eſt D. Thomas Sacchius Cortonenſis, qui eidem Baſilicae praeeſt, magniſque eam impenſis in dies ornat, & ad priſtinum decorem, quoad poteſt, reſtituit. De hac inſigni Cruce P. *Veſtrinius* lucu-

lenter differuit, quae Differtatio adfertur in Vol. V. vel VI. Differt. Acad. Etr. Cortonenfis.

Ad oftendendam huius Ecclefiae antiquitatem, iura, privilegia, poffeffiones, plures Chartae authenticae adferuntur in Nocte Coryth. XXXVII. quae exftant in Archivo Monachorum Benedictinorum e Congregatione Caffinenfi; ac proinde in Monafterio Sanctarum Virginum Lucillae & Florae, quas Nobilis Vir Hiacynthus Foffombronius Arretinus, veterum monumentorum fcrutator, & interpres peritiffimus, depromfit, & cum Sociis Cortonenfibus communicavit. Easdem Chartas, five Inftrumenta in lucem proferet Cl. Sellarius A. E. in fuo *Codice Diplomatico Cortonenfi*. Ex his tamen, quia multa compendiarie adnotata funt ex iifdem authenticis Chartis, perlubet nonnulla ad Hiftoriam huiufce perinfignis Ecclefiae adnotare.

Recenfetur in Catalogo Epifcoporum Cortonenfium Nocte Coryth. XXIII. *Laurentius Surrentinus*, cuius nullam mentionem facit Praeftantiffimus Abbas Vghellius in Italia Sacra, ubi enumerat Cortonenfes Antiftites: neque etiam meminit D. Rinaldus Baldellius in *Serie fua Epifcoporum Cortonenfium*, quam concinnavit circa annum 1600. Eius vultus pictus cernitur inter alios Antiftites Ordinis Auguftiniani, & Sanctae Cortonenfis Ecclefiae in Sacrario PP. Auguftinianorum Cortonae cum hac Epigraphe: FRATER LAVRENTIVS SVRRENTINVS EPISCOPVS CORTONENSIS. In membranacea Charta, quam Acad. Etr. donavit Nobilis, &

Eru-

Erudita Femina Maria Francisca Baldellia mater Clarissimorum Fratrum de Venutis, anno MCC-CCXX. Indict. XIII. tempore Martini V. Pont. Max. die VI. Iunii memoratur *Henoch Buccii F. de Cioncolariis* Episcopus Cortonensis. De Episcopis Cortonensibus multa Scipio Admiratus Iunior in Additionibus suis adnotavit, quae in Nocte X. Coryth. adferuntur.

In Nocte Coryth. XVII. auctus est Catalogus Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Cortonensis ex authenticis Chartis & Instrumentis, quae e domestico Archivo protulit Cl. Marchio & Eq. Marcellus Venutus. Anno MCCCCXXVI. praesentibus probatis testibus elegerunt infrascripti Canonici Cortonenses in Praepositum Cathedralis Ecclesiae *D. Iacobum Bucci F. de Alessio*, quem tum Martinus V. Papa, tum Episcopus Cortonensis probavit, & confirmavit.

D. Benedictus Ser Ioannis, Archidiaconus & Vicarius Capituli.

D. Margarito Florentii F. Cicchi N. di Gratia.

D. Antonius Francisci F. Angeli N.

D. Antonius Puccius, qui eidem Praeposito electo possidendi iura dedere. Hi Canonici convocati tunc adfuere. Die vero XXVI. Septembris eiusdem anni, coacto Capitulo Canonicorum, hi adfuere:

D. Margarito Florentii F. Cecchi n. di Gratia Vicarius.

D. Antonius Menci F. (hoc est *Dominici F.*)

D. Antonius Francisci F.

D. Nicolaus Angeli F.

 D. Fran-

D. Franciscus Angeli F.
D. Liberator Ioannis F.
D. Iacobus Bucci F.
D. Dominicus Michaelis F.

Tunc Vener. D. *Bartolomaeus Iacobi F. de Cortona* praesentavit processum, & bullam factam a R. P. D. Abbate Monasterii de Scaletto Ordinis S. Benedicti Civitatis Castellanae, Executore delegato Apostolico Bullarum Apostolicarum, qui protestavit contra quemcumque actum, qui fieri posset circa Praepositurae electionem; cui memorati Canonici contradixere, adfirmantes delegationem ei conlatam factam fuisse subreptitia arte, & nullum esse processum dixere; electum vero in Praepositum esse legitime, & Canonice institutum a Capitulo, & a Cortonensi Episcopo confirmatum. Idem vero *D. Iacobus Praepositus* rite electus ad Pontificem Maximum Martinum V. adpellavit. Chartam rogavit *Ioannes S^r. Lippi Notarius*. Mox ex Cl. Mannio inter Canonicos Cortonenses numeratur Vener. Marcus Favilla Canonicus Corton. ex Protocollo R̃mi Capituli Florent. die XXVII. Febr. 1516. De hac Familia Florentina *de Favilla* complura erudite adnotat idem Mannius in Sigilla medii aevi Tom. V. numer. XI. pag. 120.

Die XVI. Octobris 1572. Cortonensem Episcopum adeunt, & Capitulo unitam esse Praeposituram adfirmant, Canonici D. Honuphrius Serninius I. V. D. & Bartholomaeus Alferius I. V. D. quae, defuncto D. Antonio Maria Marchione de Monte S. Mariae, vacaverat.

Die

Die XIX. Octobris eiusdem anni plenis suffragiis electus est Praepositus Cortonensis *D. Silvius Perignanus Pisanus*, nepos Ill. *D. Francisci Perigniani, Episcopi Cortonensis*, adpositis quibusdam condictionibus. Chartam rogavit S. *Rutilus Ghibertinius* Notarius Corton. praesentibus probatis testibus. Alii Cathedralis Ecclesiae Cortonensis Canonici, supra memoratis adtexendi, recensentur in Chartis, & Instrumentis relatis Cap. X. sequenti.

Hodie in Cortonensi Cathedra sedet Vigilantissimus Praesul Dominus *Aloysius Gherardius*, e nobilia Gherardiorum Familia ex Civitate vulgo *Borgo S. Sepolcro*, valde munificus & diligens decorem Domus Dei, qui Cathedrali Ecclesiae donavit Dossale (vulgo *Paliotto*) pro maiore Ara argenteum, pulcherrimo opere anaglyptico sculptum, & pro Sacrosancto Mynisterio aureum Calicem sumptuosissimum; quae dona in Nocte XL. memorantur & laudantur.

Ex superioribus colligitur S. Vincentii Ecclesiam esse vetustissimam; nam anno MLXXXVI. crevit & amplificata est bonis, quae partim erant Constantini Episcopi Arretini, partim Suppi filii Ildebrandi; quae dominii divisio antiquiorem eam Ecclesiam ostendit: quare probabilius videtur in ea conditum Corpus S. Vincentii Levitae, de quo Sigebertus videndus apud Clariss. Muratorium in Tom. V. Antiquitat. medii aevi pag. 9. Iam enim duobus & ultra seculis antea locuples erat reditibus provenientibus ex decimis, oblationibus, primitiis, proventibus, mor-

tuariis, olivetis, vineis, manſis, curtibus &c. quibus acquirendis non parum tempor's requiritur. Antiquitus Cortonae non haec Eccleſia, ſed Plebs S. Mariae nuncupata, primaria erat, quae nunc Cathedralis eſt, & *Domus* adpellatur.

Notatu dignae dirae quaedam praecipuae contra donationis violatores, quas minatus eſt idem Dominus Conſtantinus Epiſcopus, nempe. *Qui hanc noſtram conceſſionem violaverit Trino Aeterno Deo offen..... a Patre, & Filio, Sanctoque Spiritu maledicatur: in die extremi Iudicii Sanctorum Apoſtolorum careat ſubſidiis: a Sanctis Angelis proiiciatur, Daemonibus connumeretur: in ſiniſtra Iudicis audiat cum Diabulo, recedite aeterno igne arſuri.*

Monaſterium, & Plebs Sanctae Mariae, eorumque bona memorantur in alia Charta donationis eiusdem Epiſcopi, videlicet: *Concedimus itaque predicto Monaſterio integram unam petiam de terra, cum aliquanta vinea & arboribus ſuper ſe, in Curte noſtra de Cortona, in Plebe Sanctae Mariae, taliter deſignatam: ex uno latere eſt ei via publica; a ſecundo Terra Sancti Vincentii; ex tertio latere eſt Terra Sanctae Mariae; ex quarto latere eſt Terra, quam retinet Vrſus eiusdam Leonis, & fratres eius, & Feudum filiorum Vbaldi.*

In alia Charta hae dirae, peculiari obſervatione dignae, leguntur. *Si quis &c. Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona &c. poteſtatis, & honoris ſui dignitate careat, & a Sacratiſſimo CORPORE & SANGVINE* Dei, *& Redemptoris*

ris nostri IESV CRI. aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eodem loco sua iura servantibus sit Pax Domini nostri Iesu Christi &c. Haec ex Bulla Innocentii II. Papae ad Iohannem Abbatem Monasterii S. Florae &c. ut legitur. *Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus scripsi* „ data Pisis per manum „ Arimeni S. Rom. Eccl. Diac. Card. & Cancellarii X. Kal. Aprilis Ind'ct'one XII. Incar„ nationis Dominicae A. MCXXXV. Pontificatus „ Domni Innocentii PP. II. anno quinto. Sigillum exhibet Imagines SS. Petri & Pauli.

Subscripti Cardinales sunt, qui sequntur, quos non piget adiicere, quum de his nulla mentio occurrat apud Cl. Martinium Canonic. in Theatro Basilicae Pisanae, qui ait pag. 132. *Acta Pisani Concilii deperdita adhuc esse.*

Ego Guglielmus Praenestinus Episcopus SS.
Ego Mathaeus Albanensis Episcopus SS.
Ego Guido Tiburtinus Episcopus SS.
Ego Arnulphus Ortanus Episcopus SS.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis
Ego Anselmus Pbr Cardinalis SS.
Ego Lictifredus Pbr. Cardinalis SS.
Ego Lucas Pbr. Cardinalis subscripsi.
Ego Guido indignus Sacerdos SS.

Adnotandum etiam quod *Suppus*, sive *Suppulus*, qui cedit alterum dimidium sui Patronatus eiusdem Ecclesiae S. Vincentii, statuit poenam suis heredibus, si transgrediantur, nempe *Lunechid*, sive *Launechilde*, aut *Launegilde*: quae vox, ut videtur, Langobardica, si-

gnificabat pretium rei donatae: *Lunechild, mobiles res per libras ſexaginta, ſinitum pretium, ſicuti inter nos convenit*. Eadem vox frequenter in antiquis Chartis occurrit. Huius *Suppoli* alia monumenta Cortonae exſtant, & inter cetera *Reinerius* memoratur, filius *Suppoli*, ad tempus uſque dominii Dominorum de Caſalibus.

Notari etiam poteſt in Charta ſuperius memorata anni MCXXXV. quod ſub Eccleſia S. Vincentii exſtabat quoque praedium Epiſcopi Arretini, quod adpellat Curtem, & alia bona Plebis S. Mariae de Cortona; & praeterea Feudum; quum eo tempore Territorium Cortonenſe in plures Feudos, & dominia eſſet diſpertitum.

Ex his etiam diſcimus, quod Monachi Monaſterii Sancti Vincentii eiusdem Eccleſiae adminiſtrationem, & omnia eius bona dabant Priori in emphytheuſim, ut contigit anno MCCXXII. inter quos *Benvenutus Prior* nominatur. Prope eamdem Eccleſiam olim erat ſuburbium, & Porta civitatis, quae hodie ſaxis clauſa eſt & obſtructa. Colligitur etiam, quod anno MCCXLIII. Monachi eiecti ſunt ab Orlando Presbytero de Montalla, procuratore Domino Poteſtate Cortonae: & quod in alia Charta anno MCCL. memoratur *Poteſtas*, *Vicarius*, & *Conſilium Generale*; quae liberam Civitatem Cortonam oſtendunt. Item quod Abbas eiusdem Monaſterii conſtituit varios Priores, cum titulo *Vicarii Generalis*, & *Syndici*: quod anno MCCLIII. Presbyter Paulus de Teverina inveſtituram obtinuit ab Summo Pon-

Pontifice, unde tumultus coorti sunt: & colligitur, quod eo tempore erant Monachi in Abbatia Farnetae, de qua paullo infra; nam memoratus Domnus *Maurus* Abbas Farnetae, a Pontifice fuerat delegatus. Quod ab anno MCCXXV. Monachi deputabant aliquem, ex Ordine suo, qui eiusdem Ecclesiae esset *Pastor*, *Gubernator*, sive *Prior* usque ad annum MCCLXXX. quae est postrema ex his Chartis, quae descriptae sunt. Anno MCCXXVI. Monasterium, Prior & Monachi S. Vincenti Cortonae deputarunt Guidonem Procuratorem Monasteriorum S. Florae de Arretio, & S. Vincentii de Cortona in litibus, caussis, & controversiis *coram Signoria praesente, & futura de Cortona, & suo Iudice; & coram Iudicibus delegatis a Papa, seu Imperatore;* ex quibus clarius Reipublicae Cortonensis libertas elucet.

Ex iisdem authenticis Chartis nomina Domnorum Abbatum Monasterii Arretini Sanctarum Virginum Florae, & Lucillae eruuntur, ad eorum seriem, si quis velit, instaurandam; & aliqui etiam Priores Ecclesiae S. Vincentii Vrbis Cortonae memorantur, quos silentio haud praeteribo.

1086. *Domnus Guido Abbas* Monasterii SS. Florae, & Lucillae, sedente *Domno Constantino* S. Ecclesiae Arretinae Episcopo.

1105. *Venerabilis Frater Teudaldus* Abbas eiusdem Monasterii, sub *Gregorio* Episcopo Arretino.

1135. *Domnus Ioannes* Abbas eiusdem Monasterii, sedente *Innocentio Papa*.

1222.

1222. *Domnus Brunus* Abbas eiusdem Monasterii, sedente *Honorio* Papa, *Friderico* Imperatore.

1226. *Domnus Vgo* Abbas eiusdem Monasterii, sedente *Honorio*, *Friderico* Imperatore.

Eodem anno *Aldigherius* Prior S. Vincentii de Cortona.

1243. Idem *Domnus Vgo* Abbas Monasterii eiusdem Arretini.

1250. Idem *Domnus Vgo* Abbas. Eodem anno *Orlandus* olim *Ioannis* Vicarius Generalis Ecclesiae S. Vincentii de Cortona; sedente *D. Marcellino* Episcopo Arretino.

1253. *D. Vgo* Abbas SS. Florae & Lucillae, Imperio vacante.

Domnus Maurus Abbas de Farneta, a Domno Papa Delegatus, ut faciat Rectorem S. Vincentii Presbyterum *Bartholum de Teverina*.

1255. Sedente Alexandro Papa, vacante Imperio, *Domnus Bonus* Abbas Monasterii SS. Florae &c. Electus memoratur Domnus *Gulielmus* Sanctae Arretinae Ecclesiae Episcopus.

1280. Sedente Papa *Nicolao III. D. Wilielmus* Monasterii eiusdem SS. Florae &c. Eo gubernante *Domnus Iuncta* Prior S. Vincentii de Cortona renunciavit; & in eius locum electus est Prior *Domnus Benedictus* tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

Non raro igitur, ut vidimus, in Voluminibus Noctium Corythanarum memoratur Abbatia Farnetae in Dioecesi Cortonensi admodum insignis, in qua multa Antiquitatis eruditae monumenta adhuc supersunt, quae iamdudum optavi, ut diligenter delineata, publico bono ab A-

ca-

cademicis Etruſcis exponerentur, & in lucem ederentur. In Clauſtri pariete exſtat haec Inſcriptio, quae adfertur in Nocte Coryth. XXXVI.

†† A. D. M.CCCXX.
h. OPVS FE... FI... ABBAS
....E.. VS.......DE. RECA.... M.
E. FECIT

Hoc eſt: †† *Anno Domini MCCCXX. hoc opus fecit fieri Abbas .... e .. us* . (forte *Reinerius*) ..... *de Recanato. Me fecit*.

In Campana haec legitur inſcriptio maioribus litteris: *Reparata . fuit . in . honorem . Dei . ac . B. ME. V.M. D. Ko. . . Sct̄eque Apollonie F. A. D. MDCCXXIV. impenſis Rom. Burgheſii . Abbatis Olivetani*. Ex Baldelliana Charta membranacea ſuperius deſcripta memoratur, quod an. MCCCCXX. ſedente Martino V. Pont. Max. Abbas Sanctae Mariae de Farneta *Vener. P. Domnus Franciſcus Paulus de Cortona*, Procurator Eccleſiae, & Prioratus S. Bartholomaei de Cortona Abatiolae de Caeliolo, & Eccleſiae S. Bartholomei de Caeliolo creatus eſt, praeſentibus D. Bartholomaeo Aegidii &c. Vicario Plebis, & Canonico Cathedralis Eccl. Corton. Silveſtro Ghinuccio ante Epiſcopum Henoch Cortonenſem, & Ioanne Thomae Ser Cecchi Rep. Corton. marito D. Mariae Magdalenae &c. q. Angeli Bartholomaei &c. Bandini de Cortona ex Comitibus Caelioli, quae Nobilis femina una eſt ex Patronis dictae Eccleſiae.

In

In Noct. Coryth. III. Ill. Eques Hierosolym. Fr. Ioannes Serninius Catalogum sequentem exhibuit Plebanorum Plebis S. Christophori Montecchii de Cucciattis ab anno 1349. ad annum 1630. quae ad suae Gentis Ius-patronatus sepectat. Serninii Cucciatti sunt Comites Sacri Romani Imperii & antiquitus Montechii Feudum obtinebant.

1349. S'. *Petrus Clericus Cortonensis*, ut constat ex Archivo Cortonensi, in Statutis Synodalibus per *Dominum Gregorium Episcopum Cortonensem*.

1387. S'. *Ioannes Iunctae de Venutis Cler. Corton.* Patruus Dominae Elisabeth, uxoris Domini Ioannis de Serninis.

1414. S'. *Maffeus Nucci Cler. Cort.*

1431. *Dominus Bartholomaeus Bartholomaei F. Canonicus Corton.*

1436. S' *Bartholomaeus de Secola Cler. Cort.*

1437. *Dominus Balthassar Domini Christophori Ioannis de Serangelis, Canonicus Corton.*

1441. S'. *Iacobus Ioannis Bartholomaei Bettini, Cler. Corton.*

1448. *Mathaeus Cler. Cortonensis.*

1482. *Idem S'. Iacobus Ioannis Bettini per regressum.*

1483. *Reverendissimus Dominus Ioannes Iacobi Ioannis de Serninis, Canonicus Cortonensis*, Rector & Vicarius Generalis Firmi anno 1496. Canonicus Firmanus: anno 1498. Vicarius Generalis Beneventi: anno 1502. Leonis Papae X. Cubicularius: anno 1510. Protonotarius Apostolicus ex numero Participantium: anno

1514.

1514. Episcopus Cortonensis: anno 1516. supradicti Papae Leonis X. in Germaniam ad Maximilianum Romanorum Imperatorem Legatus a latere ad reprimenda scandala ex Luthero exorta anno 1518. & in patria mortuus Kal. Octobris anno 1521.

1516. *Reverendissimus Dominus Ninus Ludovici Iacobi de Serninis*, *Canonicus Cortonensis*, Protonotarius Apostolicus ex numero Particip. Romae agens Generalis Reverendissimi Domini Cardinalis Gonzagae ex Marchionibus Mantuae, & Pauli III. P. M. Cubicularius, ac intimus Familiaris, per resignationem praelaudati Domini Ioannis. Huiusce Procurationis extat penes laud. Equitem Serninium authenticum Instrumentum perhonorificentissimum, authenticatum a *Domino Alphonso de Aragona*, *ac Picolomineo*, Duce Amalphitano, Marchione, & Comite Celani, Regio Consiliario, & Collaterali Regni Neapolitani, exaratum anno 1542. die XI. Ianuar. imperante *Carolo V. & Regina Ioanna* eius matre, anno Neapol. Regni XXVI. Imperii XII. praesentibus idoneis testibus, rog. ab *Ioanne Antonio* Notario Amalphitano.

1542. *Dominus Dominicus Iacobi Ludovici de Serninis Canonicus Corton.* per resignationem Domini Nini praedicti.

1581. *Dominus Balthassar Dominici Balthassaris de Serninis*, *Canonicus Corton.*

1591. *S'. Sulpicius Bernardi Octaviani de Serninis*.

1630. *S'. Franciscus Flaminii de Vrsellis*.

D. Horatius Cattanius A. E., & Patricius Cor-

Cortonensis in Nocte Coryth. XXXVIII. adseruit in Campana Ecclesiae S. Blasii in Villa Monsiglioli Dioecesis Cortonensis, hanc scultam esse Epigraphem ; A. MCCCCXXXV. *Mentem . Sanctam . Spontaneam . Honorem . Deo . & Patriae . Libertatem . Lucas . de . Bondi . da . Cortona . me . fece .*

Quia D. Philippus Laparellius Canonicus & Patr. Corton. A. E. ostendit in Nocte Coryth. XLVIII. antiquum ex aere cochlear tunc inventum, dum sua Domus reficeretur, iuxta Ecclesiam S. Philippi, adnotatum est Domum hanc pervetustam architectura, ut aiunt, Gothica exstructam fuisse ; frontem lapidibus quadris constasse, fenestris orbicularibus perparvis, hinc inde cum columellis, antiquo ritu. In angulo Domus eiusdem Canonici adhuc cernitur in latere parua Janua (hoc tamen anno calce obstructa), per quam olim efferebantur defunctorum cadavera, ubi e Domo dimittebantur. Apud Cortonenses paene omnes nobilium Familiarum Domus persimilem parvam & angustam Januam antiquitus habebant, quae *emortualis* dicebatur, nec unquam aperiebatur, nisi, ea occasione, qua mortui e Domo sublati ad Ecclesiam deferebantur. In ea Domo in fronte ipsa, quae tota lapidibus quadris, & arcu adsimili, iisdem pereleganter inter se iunctis, & dedolatis constat, eadem, ut antea dicebam, *emortualis Janua* exstructa est ; quod quidem in more ita olim positum fuisse, ex aliis exemplis constat. Fuit etiam apud Graecos haec cousuetudo efferendi defunctos ex alia Domus porta ; de qua

ali-

alibi dicemus. In tympano maioris arcus anaglyptico opere ſculpta eſt roſa maior, vulgo *roſone*. Sub maiori arcu quatuor parvi arcus cum columnis ſpectantur. In priore arcu haec ſculpta epigraphe antiquis litteris:

BALDVCI
CIAPPARO
NIS.FIERI FE
CIT.hOC OPVS

In mediana metopa roſa minor ſculpta: hinc inde duo lilia, ut in aureo Floreno Reipublicae Florentinae; mox intra alterum arcum a ſiniſtris altera haec legitur epigraphe:

MAGR
TVTI.DE
SERVI: : : S
ME FECIT

In epiſtylio ſub iiſdem minoribus arcubus tempus adnotatum eſt, quo haec *Porta Mortualis* exſtructa eſt, nempe hac cum epigraphe, quae integra linea eſt exarata.

† ANNO DNI M°. CC°. LX°X. II°II.
T-P-E. DNI. G. P.ᵉP. X.

Hoc eſt: † *Anno Domini MCCLXXIIII. tempore Domini Gregorii Papae X.* Iampridem invaluerat mos adnotandi cum in ſacris, tum

in

in profanis publicis aedificiis tum Fundatorum, tum Patronorum, atque etiam praeſtantium Artificum nomina, & tempus, quod etiam Romani Pontificis Maximi & Imperatoris, aliorumque Dominorum, qui Imperio populos regebant, nominibus deſignabatur.

Hoc ipſum Palatium olim fuit Nobilium de Venutis, quod etiam teſtatur is qui in epigraphe nominatur, nempe BALDVCCIVS. Adſimiles Portas emortuales nunc clauſas obſervare mihi contigit Florentiae iuxta vetuſtas Nobilium Familiarum aedes, praeſertim e ſaxis quadratis extructas; quare hunc funebrem ritum non ſolum a Cortonenſibus, verum etiam a Florentinis uſurpatum fuiſſe compertum eſt.

In Nocte Coryth. XXXVI. memoratum eſt Feſtum, ſolemni pompa adparatuque eleganti, adiecto Choro lectiſſimorum Muſicorum & Symphoniaocrum tum Exterorum, tum Cortonenſium, quod celebratum eſt die XXVII. Menſis Auguſti huiuſce anni in Eccleſia S. Benedicti Scholarum Piarum ab ipſis Patribus in honorem B. IOSEPH Calaſantii Fundatoris eiuſdem Inluſtris Ordinis; quem Virum Sanctiſſimum Caelitum Faſtis & Eccleſiae Diptychis adſcripſit Sapientiſſimus Summus Pontifex BENEDICTVS XIV. In fronte Eccleſiae pendebat haec Inſcriptio in Tabula magna picta, cuius auctor P. Bernardinus Veſtrinius, eiuſdem Ordinis, A. E. Vir Clarus.

D. M. S.

D . M . S

OB HONOREM

B. IOSEPHI CALASANCTII

QVI . ET . A . MATRE . DEI

DOMO . PETRALTA

ORDINIS . SCHOLARVM . PIARVM

PRINCIPIS

DE . RELIGIONE . DE . LITTERIS

ET . DE CHRISTIANA . IVVENTVTE

BENEMERENTIS

QVI . VIX . AN. XCI M XI D XIV.

OBIIT . ROMAE . VIII K. SEPT. A. MDCXXXXVIII.

CLERICI . REGVLARES . CORTONENSES

AETERNAM . PATRIS . MEMORIAM

VIRTVTIBVS . ET . PRODIGIIS . INLVSTREM

ANNO . POST . MORTEM . SAECVLARI

CVLTV . PVBLICO . CONSECRATAM

ANNIVERSARIA . GRATVLATIONE

LAETISSIMI . VENERANTVR

BENEDICTI . XIV. P. M. A. X. FRANCISCI R. I. S. A.

M. D. E. A. IV.

Quandoquidem hoc ipſum caput exorſus ſum a Cruce Dominica ; ita coronam imponere lubet duabus cum Imaginibus aereis Ieſu Chriſti Nazareni Crucifixi,quae multam praeferunt vetuſtatem. Altera exſtat in Muſeo Academiae Corr. & quod notatu dignum, mitratum habet caput ;

cuius mentionem feci in meo Commentario *De Mitrato Christi Crucifixi Capite* Symbol. Tomo III. Alterum ostendit Cl. Sellarius apud quem exstat, & regiam coronam tribus radiis ornatum caput gerit, encaustico opere pictis subligaculis. Pendet Iesus in utraque Cruce quatuor clavis suffixus. Huius Imaginis ex archetypa impressam delineationem idem Amicus meus optimus nuper mihi dono dedit. Huic alteram quoque Imaginem Servatoris nostri Crucifixi adsimilem in meis Symbolis descripsi, quae in meo Sacro Museo adservatur; in qua oculi e pretiosis lapillis antiquo cultu repositi spectantur.



CA-

CAPVT X.

MONVMENTA CIVICA AD PATRIAM CORTONENSEM HISTORIAM PERTINENTIA.

PRincipem locum in Historia Cortonensi obtinent praeclara gesta Domini Vguccii Vrbani de Casalibus, Vicarii Imperialis, & Generalis, ex Nobili Familia Cortonensi de Casalibus, qui Cortonae cum imperio praefuit, eamque obtinuit. Monumenta, quae adferuntur in Nocte Coryth. XVIII. ostensa sunt & accurate descripta a Cl. Marchione Venuto ex domestico Archivo, ex Protocollo scripto anno 1386. et sequentibus manu Rinaldi Toti S'. Rinaldi de Cortona Notarii: e quo perlubet non pauca haec in compendium redacta delibare.

Anno 1386. die 18. Ian. praes. Rinieri Geppi, Gulielmo Serantoni Cortonensibus, Magnificus & Nobilis Dominus Vguccio Vrbanus D. Bartholomaei de Casalibus Vicarius Imperialis Cortonae, cum facultatibus omnibus creavit suos Procuratores dicretos Viros S'. Ioannem Bartholomaei & Nicolaum S'. Gori de Civitate Castellana, & Matthaeum Vallispierlae, ut de quibusdam causis agerent cum Praetore Civitatis Castelli.

Eodem an. 1386. die XXVI. Iulii praesentibus Andreuccio Naldi, & S'. Ioanne Toscani de Cortona, Simon Parisgillo Venuti, Sindicus & Agens Civitatis, & Populi Cortonae, facit suum,

& Populi Cort. Procuratorem S'. Donadeum Petruccianum de Narnio, ut adesset litibus omnibus, quas habet, & habebit cum Ioanne Guelfi Florentino, uti Gubernatore, & Comministratore Magnifici Equitis D. Francisci D. Bartholomaei de Casalibus Vicarii Imperialis; uti etiam Nobb. DD. Nicolai Ioannis, Rinieri magnifici Domini Vguccii de Casalibus, coram quocumque Tribunali Civitatis Florentiae, vel aliarum Civitatum &c.

Eodem anno 1386. dum esset Vguccio Vrbanus de Casalibus Vicarius Imperialis Cortonae, eius Cancellarius S'. Iacobus Bondi de Amelia die XIII. Aprilis eiusdem anni 1387 salarium accepit pro octo mensibus florenos aureos XXIV. per manum Petri Barattucci de Arretio, Agentis eiusdem Domini Vicarii, praesentibus D. Francisco Castracani de Luca, & Silvestro Nucciarellio Cortonensi.

Die XXV. Aprilis eiusdem anni Nobilis & discretus Dominus Ioannes Antonii de Cacciamicis de Bononia, Procurator Nobilium & Egregiorum Dominorum Bernardi Nicolai Andreae de Peppolis, ratione contractus an. 1376. accepit a Magnifico & Nobili Equite D. Nicolao Francisci de Castracanis de Luca solvente pro Magnifico & Nobili Domino Vguccio Vrbano de Casalibus, Vicario Imperiali Cortonae, florenos 325. partem summae florenorum aureorum 625. praesentibus Bonello Landi, & Angelo Vannis Venuti, & Francisco S. Lippi (de Baldacchinis.)

1387. Die XX. Madii, praesentibus Gualterio Domini Cacciae (de Cattanis) & Cecco

Pec-

Pecci de Cortona, Dominus Vguccius Vrbanus de Casalibus, Vic. Imper. Cort. & Communis Cortonae, fecit suum Procuratorem Anichinum Ioannis, ad nominandum & eligendum aliquem Civem Senensem Conservatorem Cortonae spatio sex mensium, principio coepto a mense Iulio, cum salario 450. florenorum aureorum.

1387. Die XV. Maii, praesentibus Ser Nino Notario Cicchi, & Nicolao Angeli Blasii, dicto Cinquecento, religiosus & honestus Presbyter Angelus Mucci de Cortona in honorem Iesu Salvatoris dotavit Capellam suam in Ecclesia SS. Blasii, & Christophori Villae Ossariae, quae Fons S. Donati vocatur. Iuspatronatus dedit Priori pro tempore Hospitalis Corton. & Priori Confraternitatis Laudum dictae Ecclesiae de Ossaria. *Ossaia* vulgo dicitur, ut consent Eruditi, locus ubi atrox bellum ad Thrasimenum contigit, pugnante contra Romanos Hannibale, quod cadeveribus humus strata sit.

1387. Die XXIV. Maii, praesentibus Nobilibus Dominis Petro de Farnesis, D. Manno Balduccio de Tuderte, & Ser Luca di Gratia Cortonae, idem Vguccius Vrbanus de Casalibus Cortoane Dominus, revocat omnem procurationem factam D. Andreae D. Francisci de Castracnais Lucensi.

1387. Sedente summo Pontifice Vrbano VI. die prima Ianuarii, praesentibus Paulo Guidonis Rinaldi, Tofano Bongiovanni, Ser Nino Cicchi de Cortona, & Thoma Ser Cecchi de Cort. Christophorus filius Matthaei Serducii, ex voluntate Francisci Serducci, & Nicolai Franci-

ſci Matthaei Conſanguineorum, quietantiam, & receptionem fecit D. Vguccio Vrbano de Caſalibus Domino Cortonae, pro dote Dominae Ioannae Raimbardi de Rambardis Ravennatis, Sponſae dicti Christophori, vigintiquinque ſtadiorum terreni &c.

1387. Die dicta D. Vguccius Vrbanus praedictus erogavit nomine dotis in favorem Domnae Bonae Ioannis de Aſcenſis de Ravenna promiſſae in matrimonium Andreae filio Domini Nuti, florenos aureos 150.

1387. Die X. Iunii, in platea S. Andreae praeſentibus Iulio Magiſtri Venturae, Petro Mochi, & Gualterio Sagurani de Cortona, Magnificus & Nobilis Eques Dominus Nicolaus Franciſci de Caſtracanis Lucenſis, fecit ſuum Procuratorem generalem diſcretum & honeſtum Dominum Antonium Giovannini a Cantiano, ad dividenda inter ſe & Andream fratrem, & filium praedicti D. Franciſci omnia bona ſua, mobilia, & immobilia, poſita in Territorio Lucenſi.

In Nocte Coryth. XIX. ex eodem Codice Bibliothecae Venutianae, haec, quae ſequuntur relata leguntur. *Die prima Iulii eiuſdem anni* 1387. *Nobilis & Diſcretus Dominus Ninus Ioannis Ser Mini de Senis, honorandus Conſervator Civitatis Cortonae, antequam ex equo deſcenderet, & poſſeſſionem caperet, iuravit ſuper Evangelia &c. promiſitque ſe facturum officium ſuum bona fide, ſine fraude, & legaliter &c. ſine exceptione perſonarum in cauſis tam civilibus, quam criminalibus, & ob-*

& observaturum statuta Civitatis Cortonae: Defensurum rationes, & bona Ecclesiarum, Hospitalium, Religiosorum, Viduarum & Pupillorum &c. quod audiet omnes sine molestia etiam quando adpellare se vellent ad Iudicem, aut Dominum Generalem, sive ad eius Vicarium; quod nihil praeter adsignatum Salarium accipiet. Infrascripti sunt Officiales eiusdem Conservatoris, qui etiam singuli iurarunt in Palatio Communis Cortonae in manu Notarii Rainaldi de Totis, Cancellarii Communis Cortonae, se bene officium suum facturos.

Dominus Nicolaus Cecchi de Eusebio, Iudex.

Ser Nicolaus Ser Benvenuti de Tuderto, Miles.

Ser Ioannes Iacobuccii de Goressa, Notarius Maleficiorum.

Ioanninus Gerardi de Tolosa
Vannes Cecchi de Morro
Landus Andreucci de Senis
Paulus Veltri de Senis
Domnicus Nelli de Senis
Luduvicus de Interamne
Rainaldus de Eugubio, Ragazzinus
Antonius Cecchi de Trequanda
Lucas Nicolaii de Trequanda
Ioannes Simonis de Trequanda
Benedictus Cecchi de Trequanda
Angelus Ceccarini de Trequanda
Chimentus Bartolomei de Trequanda
Petrus Tuti de Asinalonga
Nannes Angeli de Asinalonga, Ragazzini

Iisdem adſignarunt

Item equum unum leardum

Item equum baium sfregiatum

Item unum ronzinum morellum pro totis.

1387. Die 3. Novembr. convocatis teſtibus Nobilibus Dominis Nicolao D. Franciſci de Caſtracanis Lucenſi, D. Franciſco Colae de Monte Faliſcone, Dominus Vguccius Vrbanus de Caſalibus, Dominus generalis Cortonae, conſtituit ſuum Procuratorem Conradinum Iacobi Buonafede de Florentia, ad emendum a Magnifico Communi Florentiae, & Magiſtris Vectigalium ad Portas, Salem & Salinas, & quamcumque copiam ſalis, ut ipſi convenerint.

Anno ſequenti 1388. die ſecunda Ianuarii, in Palatio Communis Cortonae, praeſentibus Viva Blaſii de Naldis, & S'. Ioanne Toſcani, & Vguccione Landi Cort. magnificus & diſcretus S'. Angelus Cecchi de Terni, olim Officialis Cuſtodiae Civitatis Cortonae, pro XVIII. menſibus iam elapſis quietantiam fecit ſe recepiſſe a Blaſio S'. Cenni de Scarperia Villico, & Agente Domini Vguccii Vrbani de Caſalibus pro ſumma 456. florenorum aur. numero 323. florenos, libras 19. ſolidos 23. &c.

1388. Die 4. Ianuarii praeſentibus Ventura Franceſchini, Meo Agniolonis, & Sebaſtiano Iuſti Cortonenſibus, Dominus Vguccius Vrbanus de Caſalibus, vigore ſui Vicariatus Imperialis, declaravit nobilem, facundum, & digniſſimum Doctorem D. Colam de Monte Flaſcone ſuum Vicarium Generalem, ut poſſit, & debeat impendere rationes Franciſco

S'. Phi-

S'. Philippi de Baldacchinis, qui fuit Camerarius Communis Cortonae, cum omnibus facultatibus &c.

1388. Die XII. Iuanuarii Nobilis, & ſapiens Petrus Leo Lobi de Pierleonibus de Arimino, honorandus Poteſtas Cortonae, antequam ex equo deſcenderet, ut ſupra, iuravit &c. Eius Officiales & Familiares fuere hi, qui ſequuntur.

Dominus Chriſtophorus Barrii de Interamne, Iudex.

S'. Nicolaus S'. Benvenuti de Tuderto, Socius miles.

S'. Ioannes Iacopacci de Geroſſa, Notarius Maleficiorum.

Bartholomaeus S'. Franciſci de Verona, Domicellus.

Ioannes .... de Colle Rotundo, Domicellus.
Inannes Martinus de Arimino
Guido Caſtri de Sancto Conſtantio
Matthaeus Pacis de Burgo
Franciſcus Pauli de Vrbe
Stephanus Nicolai de Fucecchio
Petrus Maſſei de Senis
Gerardus de Piſis
Piſanellus de Piſis, Ragazzus
Antonius Petri de Burgo.
Ioannes Antonii de Arimino
Andreas de Venetiis
Petrus de Tuderto. Adſignarunt:

Item unum equum pili baii cum ſtella in fronte.

Item alium equum pili cervatti cum una cingula nigra in groppa.

Item

Item unum ronzinum morellum pro totis.

1388. Die XX. Ianuarii S'. Angelus Cecchi de Interamna Officialis Custodiae accipit a Blasio S'. Cenni a Scarparia pro mensibus 18. elapsis tanquam ab Agente Communis 456. florenos aureos pro suo Salario, praesentibus testibus etc.

1388. Die XXI. Ianuar. in Ecclesia S Andreae praesentibus Nobilibus Dominis Vguccio Vrbano, Domino Cortonae, D. Nicolao D. Francisci Castracani de Luca, Petro Leone Lobi de Pierleonibus de Arimino, Potestate Cortonae, Puccio Lemmi, & Tofano Bongiovanni, & Michaele Guidi, Bernardinus Lapi filius Gori de Cortona accepit a Bartholomaeo Puccio Corton. pro dote Dominae Iacobae filiae suae, & Sponsae eiusdem Bernardini 375. florenos aureos &c.

1388. Tempore Vrbani Papae VI. die XVIII. Febr. in platea S. Andreae, praesentibus Nobilibus Domino Nicolao Domini Franrcisci de Castracanis de Luca, & Gulielmo Ser Antonii de Cortona, Dominus Vguccius Vrbanus de Casalibus, Dominus Generalis, & Vicarius Imperialis Cortonae, virtute sui Vicariatus, iussit ut Arditus filius bonae memoriae Domini Vguccii de Casalibus exemptus esset a solvenda quacumque impositione Civitati Cortonae &c.

1388. Die 3. Martii in Platea Communis praesentibus Ioanne S. Angeli, & Serninio Notario quondam Cicchi (de Serninis) D. Andreas Ioannes Domini Generalis ab una, & Ser V-

guc-

guccio Notarius Landi, at altera, Arbitri inter Matthaeum Pauli Fei, & Angelum Andreae a Pergo etc.

1388. Die 10. Martii in Cancellaria, praesentibus Angelo Blasii, & Fazio Domini Ioannis de Senis, Prudens Ser Iacobus Petri de Interamna, Officialis Custodiae Cortonae, pro duobus mensibus Salarium a Blasio Ser Cennis a Scarparia accepit &c.

1388. Die 28. Martii in Cancellaria praesentibus Matthaeo del Papa, & Antonio de Ghinaccio, Arnolphino quondam Cicchi, Petro Angelo dicto *il Turba*, Broccardinus Arretinus volens peregrinari & ire ad visitandum S. Iacobum, fecit testamentum, et sibi sepulcrum elegit in S. Augustino de Castiglione Arretino, & reliquit petiam terrae Nicolosae Nicolai de Anghilesibus de Montevecchio &c. prope bona Guasconorum de Arretio, alteram petiam terrae Ecclesiae praedictae S. Augustini &c. Reliquit Pauluccio fratri suo omnia bona, quae possidet in Castiglione Arretino, & Dominae Ciambroginae matri suae omnia bona Montecchi Vispone, & alios heredes vocavit. Executores Marchionnus Francisci de Broccardinis, Baptista S. Ioannis, & Pauluccio Pinconio a Castilione Arretino fuere &c.

1388. Die ultima Martii in Ecclesia S. Andreae praesentibus nobilibus & sapientibus Dominis Arrigo de Viteldis, D. Francisco Colae a Monte Flasconio, Ranierio Sgaciglio, Barbazino Barbazzi, Antonio Capucci, Presbytero Honuphrio Canali Rectore S. Andreae, & Pre-

Presbytero Luca Cappellano Domini Cortonae, Nobilis Dominus Mnus Ioannis Sermini a Senis, iam Conservator Cortonae, pro sex mensibus, accepit a Doninico Martini Tartari de Cortona, Camerario Gabellae Maioris Cortonae, florenos aureos 450. pro suo Salario.

1388. Die XIII. Aprilis praesentibus Ristoruccio Benuccii, Basilio Nicolai, & Angeluccio Blasii, Christophoro Angeli, Hermannus .... accepit a Magnifico & Nobili Domino Vguccio Vrbano de Casalibus, Domino Cortonae, titulo dotis Dominae Luciae, filiae olim Nobilis Equitis D. Ioannis de Castracanis de Luca, & uxoris promissae Dominici filii dicti Christophori, florenos ducentos in totidem bonis.

1388. Die XXVII. Aprilis praesentibus Silvestro Nucciarelli, & Lazaro Vannis Viva de Cortona, eximius, probus, & sapiens Dominus Paulus a Magnifico & Nobili Domino Vguccio Vrbano de Casalibus electus, ut sit suus Doctor Medicus cum Salario centum & quinquaginta florenorum aureorum, & cum habitatione pro se & sua familia, & expresse pro uno famulo, & uno ronzino; qui officium acceptavit solitis cum pactis, &c.

1388. Die quinta Madii, praesentibus &c. Gulielmus Ser Cicchi de Ravenna, uti *Falconierius* Domini Vguccii Vrbani de Casalibus, fatetur pro suo Salario accepisse florenos aureos 34. a Ser Luca Cappellano dicti Domini pro toto tempore sui servitii &c.

1388. Die XII. Madii, praesentibus Petro

Ba-

Barattucci de Arretio, Dominico Paltrucca de Cortona, Discretus Gualterius Baldi de Florentia, uti Rationarius Manifici, & Nobilis Domini Vguccii Vrbani de Casalibus &c. dedit in emphytheusim Guidoni le Sancto Miniate usum Baracteriae Commnis Cortonae in tertio S. Mariae prope plateai S. Andreae, & alia confinia pro uno anno tntum; promittens solvere 70. florenos aureo, cum ea conditione, ut nemo alius possit luere nisi in dicta Baracteria, &c.

Die 4. Iulii in Patio Populi praesentibus, &c. D. Vguccius rbanus volens amplificare Civitatem Cortonae, eamque augere nobilibus, & virtute strenis Civibus, Nobiles constituit, & declaravit Dminum Marchevaldum, Nannem Domini Ludovici Domini Dini de Rocca, Nobiles Cives Cortonenses, ita ut iisdem beneficiis & priilegiis fruantur, quibus originarii Cives fruuntur.

Die 14. Iulii mmoratus Gualterius Baldi de Florentia Oecnomus, & Rationarius D. Vguccii Vrbani de Casalibus, soluit florenos aureos 50. &c.

Die 28. Iulii in Loggia Communis praesentibus Simone Parisioli (e Familia Venutorum) & Ioanne Bett Cortonensibus, idem Dominus Cortonae Nobiem civem Cortonensem creat Antonium Ioanis Arretinum.

1388. Die ultima Augusti in Platea S. Andreae, praesentibus Sr Ioanne Ser Pecoronis, & Ser Antonio Andruccii de Naldis, Nobilis & facundus Domins Franciscus Colae de Mon-

MonteFlascone, Vicarius D. Vguccii Vrbani Potestatis munus accepta, Salarium &c. qui die 21. eiusdem mensis in Claustro Palatii Episcopi declaratus fuerat Ptestas, sive Praetor.

Die 10. Septembs in Palatio Domini Cortonae, praesentibus Domino Francisco Colae supradicto, & Paulo Feduccio, & Ser Iohanne Toscani de Cortoa, Ser Bartholomaeus Ser Iacobi de Mercatello Officialis Vectigalium Civitatis Cortonae, pro sex mensibus confessus est se accepisse a Se Luca de Gratia de Cortona, nomine Domini Vicarii Generalis Cortonae, pro universo si Officii tempore Florenos aureos........

Die 26. Septemris in Palatio Domini Cortonae, praesentibi Magnifico Domino Carolo de Vicecomitibus de Mediolano, & Ghinolfino Arditi de Cortna, idem Dominus Cortonae declaravit suum Procuratorem Ser Lucam de Gratia suum Cappellanum (hic postea fuit Episcopus Cortone, &c. e Familia Casalium, ut adnotat idm Notarius Baldacchinus in eodem Instrumeto) ad liberandum, & quietaniam faciendam Franceschino Ser Lippi de Baldacchinis Cortoens. & eorum heredibus ad eum usque diem qui in alio Instrumento promissit Domino Clae de Monte Flascone Vicario & Potestati Cotonae, se sine eius licentia non absuturum a Civitate, & Comitatu Cortonensi.

Die 14. Decembrs in Platea S. Andreae, praesentibus D. Francisco Colae a Monte Flascone Potestate, & D. Luca de Gratia

tia Archidiacono Cortonae, Carlo Volghae, Petro Andreucci, Guglielmino Ser Antonii, & Petro Pauli Cortonensib. Nobilis, Potens, & Magnificus Dominus Vguccius Vrbanus de Casalibus, Inperiali, & sua auctoritate iussit esse, & declaravit Cives Nobiles Cortonenses Barnabeum Angeli dictum *Cappuccio*, de Civitate Castelli, Antonium, & Angelum eius fratres, & filios eius, & descendentes.

1390. Die 2. Ianuarii Florentius Vannis Tibicen Civitatis Cortonae ex commissione proclamavit in Scalis Communis Cortonae, ut inter tres dies compareat si quis est qui creditor sit Domini Francisci Colae de Monte Flascone.

Eadem die idem Tibicen iussu Domini Cortonae bannivit ne quis cuiuscumque status & conditionis audeat deferre arma offensiva, & defensiva sub poena, &c. Florenorum aureorum, quarta parte danda denutiatori; his exceptis, qui per Schedulam habebunt licentiam a Domino Vicario Imperiali Cortonae, & ab his qui ex eius Familia sunt. Presbyteris prohibetur ingredi Tabernas ad commessandum usque ad XVIII. a Cortona lapidem, sub poena XXX. librarum, & accusator lucretur tertiam multae partem.

1390. Die 16. Ianuarii in cubiculo Domus Vicarii Imperialis, & Generalis Cortonae, praesentibus Domino Petroleone Lobi de Pierleonibus de Arimino, & Carolo Gori de Cortona, idem Dominus Cortonae ne res publica, & negotia quid detrimenti ex dilatione accipiant, iussit, ut facundus D. Franciscus Colae de Monte Flascone dignissimus Doctor, & Potestas, possit in-

indicare, iuris ordine ſervato, & non ſervato in Cauſis omnibus tam Civilibus, quam Criminalibus, &c.

Die 18. Ianuarii in Eccleſia S. Andreae (quae vulgo S. Lazari *del Bovarcho* dicitur, ubi tabe adfecti, et leproſi degunt) quinque Viris praeſentibus, vacante Domino Cortonenſi ſuo Rectore, et Gubernatore dudum abſente, honeſto viro Ser Antonio de Canſiano Comitatus Eugubii, quod ea non ſolum careat divinis officiis, et iam ruinam domus ipſa minitetur; ideo ſapiens Vir Riſtoruccius Benucci Riſtori de Cortona, uti Syndicus Communis Cortonae Rectorum privavit eundem Ser Antonium, et in eius locum ſuffecit virtute, ſcientia, et fide laudabilem, virum honeſtum, et diſcretum Ser Ioannem Guidi a Pergo Comitatus Cortonae, ad honorem Dei, et pacificum, ac tranquillum ſtatum praedicti Domini Vicarii Generalis Cortonae, ut ſit eiuſdem Domus S. Lazari *del Bovarcho* Gubernator. Deinde iuſtus, ac Reverendus D. Lucas di Gratia Archidiaconus Corton. commiſit DD. Ioanni de Marchio Priori Marzani, et Honuphrio Bencivenni Canonico, et Rectori Eccleſiae S. Andreae de Cortona, et Vgolino Cortonenſis Marci, Canonicis Cortonenſibus, ut eant, et eum in poſſeſſionem conſtituant, etc. qui dicta die conſtitutus eſt.

Die 23. Ianuarii ſapiens Vir, et multae exiſtimationis Magiſter Paulus Ioannis a Monte Flaſcone, Medicus Domini Vicarii Generalis Cortonae, itemque Communis Cortonae, per Tibicinem in Scalis Palatii Communis Cortonae notum

notum fecit, ut intra hodiernum diem & crastinum, compareat coram Notario, qui haec scripsit, qui creditor est suus.

1389. Die 30. Ianuarii in Claustro Domus Reverendi & Honesti Domini Lucae de Gratia Archidiaconi Cortonensis, per instrumentum Deputati a Generali Domino & Vicario Cortonae, semper bono publico vigilante, decretum est quod Ars Mercatorum armentorum, & Ars Campsorum in posterum una simul conveniant, & faciendum curent Cereum pro festo Beatae Margaritae, & alium Cereum pro festo S. Marci, & cetera ut solent aliae Artes.

1389. Die 4. Februarii idem Magister Paulus Medicus &c. accepit florenos aureos CL. pro salario anni de pecunia Domini Vicarii Generalis per manum memorati Archidiaconi Corton. D. Lucae de Gratia.

Eadem die eiusdem anni, praesentibus &c. Reverendus Dominus Lucas de Gratia Archid. Corton. uti Procuraror Domini Vicarii Imperialis Vguccii Vrbani de Casalibus, iussit ut Artes, & Artium homines *Cimatorum*, *Pelliccia-riorum*, *Banbacariorum de Cortona &c.* debeant *facere unum Cereum; & quando contingat facere Cereum floridum, ponere signa dictarum Artium pro tertia parte. Et quando fieret Cereum non floridum, ponere insignia earum Artium pro tertia parte in uno folio chartae bombacinae valoris unius quattrini: & facere unum pryxidem Rectorum, & in ipso pyxide mittere de quolibet dictarum Artium, pro ut eis videbitur convenire; et illos in dicto pyxide mitte-*

re, videlicet meliores, & nobiliores ad mittendum: & quod dictae Artes, & homines dictarum Artium teneantur, & debeant obedire Brevi dictorum Sartorum, & ipsum observare in omnibus, & per omnia; & qui non observarit dictum Breve Sartorum incidet in penam quinquaginta florenorum auri: cuius pene medietas sit, & esse debeat Domini Cortonae, & alia pertineat ad dictam Artem Sartorum, Serratorum &c.

1389. Die 20. Februarii idem Archidiaconus D. Lucas de Gratia Procurator Domini Cortonae per rogitum Ser Petri de Ameria Cancellarii, iussit, ut Artes & homines Artis Merciariorum uniantur cum Arte Speciariorum, cuius Rectores sunt Silvester Nucciarelli, & Petrus Pardi &c.

1389. Die 4. Aprilis in Episcopio praesentibus Sapiente D. Cola a Monteflascone, & D. Honuphrio Bencivennis Maffei, & D. Martino Angeli Magistri Salvetti Canonico, Cortonensibus: Reverendus in Christo Pater, & Dominus Laurentius de Coppis Neapolitanus, Episcopus Cortonae, (de quo nonnulla iam adnotata superius sunt), in praestitum accepit a D. Luca de Gratia Archidiacono Corton. CC. Florenos aureos de propria pecunia, quam promisit restituere, & revera die 30. Iulii 1389. restituit, praesentibus D. Petro Vannis Canonico Cortonensi; & Vicario Plebis S. Mariae, & Nicoluccio Antonii Laurentii de Guiduccis &c.

1389. Die 27. Aprilis praesentibus nobilibus D. Petro

Petro Leone Lobi de Pierleonibus de Arimino, & Antonio Asculano, & Seraphino Spoletano, Nobilis Comes Franciscus Comitis Caroli filius de Puppio accepit merae praestationis causa a Magnifico, Nobili, & Potenti Domino Vguccio Vrbano de Casalibus, Vicario Imperiali, Domino Cortonae, Florenos aureos CCLXXV. & se intra annum redditurum promisit; quod si contra adcideret ius tribuit contra conveniendi quocumque in loco, sive Florentiae, sive Pisis, Lucae, Senis, Perusiae, Cortonae, Civitate Castellana &c.

Die 8. Maii in Cancellaria Troccinus filius Colae Tommasetti Fosci de Interamna stipendarius Domini Cortonae, accepit pro mensibus XI. salarium & stipendium suum a Petro Barattucci Arretino, Oeconomo Domini Cortonae.

Die XX. Iuli, Ser Archileus de Ameria Cancellarius Domini Cortonae confessus est se accepisse Salarium pro toto sui Officii tempore, praesentibus eodem D. Francisco Colae & D. Luca de Gratia Archidiacono.

Die XIV. Septembris eiusd. in Cancellaria praesentibus duobus familiaribus Dom. Cortonae Dominus Bindaccius & S.' Socius de Montepolitiano, olim Cancellarius Domini Cortonae, pro mense & XX. diebus confessus est se accepisse Salarium.

Die XIX. Septembris in Ecclesia S. Andreae, octo hominibus praesentibus, convocati, & coadunati sunt infrascripti in eadem Eccl. ad pacem, concordiam, & remissionem faciendam, videlicet cum his de *Valsana*:

Ex una parte

1. *Laurentius Maffei*
2. *Nannes Iusti*
3. *Marchus Blaxii*
4. *Gorus eius frater.*
5. *Fatiga Case.*
6. *Oratius Mariellae*
7. *Christophorus eius fr.*
8. *Naldus Ioannis.*
9. *Ioannes Pagnucci*
10. *Antonius Pucci*
11. *Christophorus Cardelle*
12. *Vannuccius Martini*
13. *Ceccus Bartolomei*
14. *Michael Nucci*
15. *Paulus Passi &*
16. *Angelus Nicolucci*

Dicto loco ex altera parte

1. *Nannes Vgolucci*
2. *Pierus Pauli*
3. *Nicoluccius Peccie*
4. *Cecchus Ioannis*
5. *Silvester Marchi*
6. *Ioannes Nicolucci*
7. *Laurentius Iusti*
8. *Bonazettus Donati*

Fecerunt pacem, & remissionem omnium contumeliarum, offensionum, & factorum, omnibus cum solemnitatibus, & terminis, ut in dicto Instrumento, sub poena mille librarum Cortonensium contra facientibus.

1389. Die 19. Septembris, in platea S. Andreae, praesentibus pluribus testibus, datur in emphytheusin praedium pro quinque florenis aureis solvendis quot annis mense Augusti in S. Maria, cum dimidia parte molendini in territorio de Montanare Cortonae, quod accipiunt Ioannes & Guidus Tofani de Montanare ab Ser Ioanne Ser Callia de Arretio Procuratore Dominorum Bartholomaei & Iacobi Domini Rainerii de Casalibus, qui ab eadem emphytheusi recesserunt.

Su-

Supersunt alia in hisce Tabulis adnotanda, & expendenda. Ostensus est in Nocte Coryth. XVI. Codex membranaceus, qui ad Academiam Cortonensem spectat; qui inscribitur: *Brevis, sive Matricula Notariorum* ab anno MCCCXI. ad annum MDXIII. de quo superius Capite VII. non pauca adnotata sunt; quae & in hoc Capite locum habere possunt, quod Civilem Cortonensem Historiam non parum inlustrent.

Ad perpetuam memoriam in Nocte Coryth. XLVII. adnotatum est, mense Decembri huius anni, iterum lapidibus stratam fuisse Plateam S. Andreae, ex pecunia *tassae*, quam persoluit, Familia *Bucciorum* de Monte S. Savini, quod in ordinem Nobilium Cortonensium fuerit cooptata.

De Magnifico atque Inlustri Viro Domino Nino Serninio Ludovici, & Elisabeth Vagnucciae filio; multa adnotatu digna scripta sunt in Nocte XXX. sed quum praecipua ediderit Cl. Dominicus Maria Mannius in Observationibus in Sigilla medii aevi, ubi sigilla Serniniorum adfert, & inlustrat Tom. IX. pag. 41. & Tom. XV. pag. 47. ea heic a me praetermittuntur. Plena adeo sunt mira eruditionis fruge medii aevi obsignatoria Sigilla, ut Eruditissimi Mannii exemplum secutus Cl. Adamus Frider. Grafey, ediderit Lipsiae anno MDCCIL. egregium Specimen, quod Decadem Sigillorum complectitur; quae olim fuere in Museo Eq. Sertorii Vrsati, Nobilis Veneti, & ipse ea sibi conquisivit.

CAPVT XI.

ANTIQVA MONVMENTA INSIGNIORA NVPER INVENTA

PErtinent ad augendum Hiſtoriae tum Litterariae, tum Antiquariae decus, atque ad immenſos eius ſines amplificandos, Notitiae antiquorum Monimentorum, quae non ſolum in Etruria, verum etiam tota Italia, atque Europa frequenter effodiuntur. Nam & noſcere, & ſcire loca, ubi ea eruta ſunt, multum lucis adfert ad patrias Antiquitates explicandas. In Nocte III. Corythana, complura Numiſmata oſtenſa ſunt, & donata Muſeo Cortonenſi, quae etiam recenſentur. Non pauca quoque deſcribuntur Numiſmata ſequioris aevi, quae iam inventa fuerunt in olla una cum aerea galea, & integro militari indumento ferreo, cum enſe ad latus; quae nuper effoſſa fuerè in praediis Eecleſiae S. Ioannis Baptiſtae iuxta Caſtellum Oliveti, in ditione Civitellae, loco dicto *il Caſtellare*, ſubiecto Arci Civitatis Arretii, quae in emphytheuſim hodie habent quidam agricolae. Erat hoc olim bene munitum Caſtrum, foſſis circumvallatum. Ibidem adhuc cernitur Crypta ſubterranea, in qua triginta ferme ab hinc annis picturae antiquae cernebantur; quae hodie penitus evanuerunt. Ex his monetis nonnullae in Riccardia-

no Museo conlocatae sunt, nempe quae Imperatorum Constantii, Iuliani Apostatae, Valentis, Valentiniani Iunioris, Arcadii, Honorii, & Theodori Iunioris sunt &c. Non pauca Numismata Academiae Etruscae tum ex his, tum ex aliis Cimellis, donavit Egregius D. M. Antonius Coracceschius de Oliveto. Idem dono quoque dedit numisma aureum *Rachis Regis Langobardorum*, & alia superius enumerata; quae quidem omnia in Nocte III. Corythana recensentur.

In Nocte IV. Corythana postquam adnotatum est, in Vrbe Cortona, labente seculo XVI. exordium suum coepisse Academicos *Humorosos*, qui pro emblemate, & insigni sui Coetus pingebat Vitem, quae postquam amputata est, copiosum effundit humorem, adiecto Sole eam respiciente, & epigraphe RECISA FECVNDIOR; quam in egregio suo Opere *Storia della Ragione della Poesia* Vol. I. Dist. I. Cap. 2. laudat Vir Cl. Franciscus Xaverius Quadrius. Adlatus quoque exscriptusque est Articulus Epistolae, quam doctus vir, scripsit ad Cl. Baronem de Stosch die quarta Ianuarii huiusce an. MDCCLVIIII. qua discribitur nuper accurate observatum Tiburtinum Theatrum valde magnificum & sumtuosum, Statuis & columnis, aliisque ornamentis splendidissimum. Ea epistola, si genuino vulgari idiomate, quo scripta est, proferretur, rem censui me gratiorem Eruditis facturum. Ea igitur ita se habet.

„ *Trovandomi da qualche giorno nella mia Villa di Tivoli, sto occupato con infinito mio*

piacere ad osservare la bella scoperta di un antico Teatro, che si è trovato in questo luogo. In occasione, che il Sig. Marchese Origo faceva cavare tra certe sue antiche, e vaste rovine di edifizj, vi ha scoperto uno de più magnifici Teatri, che siasi visto fino ad ora. E' questi situato nelle rovine della Villa Adriana, distante cinquanta, o sessanta passi dal luogo, ove furono trovati i due famosi Centauri da Monsignor Furietti. Resta questi dalla parte di Levante, attaccato a quelle aperture ovate sotterranee da VS. Illustr. altre volte vedute; ove molti hanno creduto, che fossero gli antichi Inferi, della Villa Adriana. La sua lunghezza e di più di 250. palmi dalla parte della Scena; ove vedesi un altra fabbrica con tre porte, una nel mezzo, e le due altre negli spazj laterali, tutte uguali di grandezza; ma più alte della giusta proporzione. L' auditorio poi è composto di sette ordini di Sedili, tutti uniformi, che vanno a terminare sul piano, o sia Platea; e nel mezzo del mezzo cerchio si vede come una gran Nicchia, o Tribuna, che aveva un grande architrave di marmo, sostenuto da due colonne di granito Orientale. Questa Nicchia aveva i Sedili di marmo, sostenuti da una branca di Leone; apparendo poi nel suo centro uno spazio voto, ove era forse la Sedia dell' Imperatore, o d' altro Personaggio. Il Pavimento è di giallo antico, e di lavagna nera a opera: i gradini, e sedili del mezzo cerchio erano tutti sette foderati di marmi nelle loro estremità, avendo dietro per finire

nire

nire di coprire il loro piano un groſso Moſaico di marmo bianco. Vi hanno ancora trovato due terzi di Statue, ma rovinate, di un guſto non inferiore al Lacoonte, ed all' Ercole Farneſiano. Si vede però, che queſto mirabile Edifizio è ſtato antecedentemente cavato per i molti taſti fatti ne' piani; ſopra i quali ſono ſtati ritrovati frammenti diverſi di varie colonne ſpecialmente di belliſſimo giallo antico. Benchè io abbia veduti varj magnifici antichi Edifizj, neſſuno mi hà mai cagionata tanta ammirazione per la grandezza della mole, e per la preciſa conſervazione, che dimoſtra; e ſarebbe una coſa aſſai lodevole il farlo dare alle Stampe, come io voglio ſuggerire all' Emin. Sig. Cardinale Aleſſandro Albani in occaſione, che vuol eſſere a favorire queſto mio ritiro.

Queſto magnifico Teatro ci fa conoſcere manifeſtamente quanto poco eſatta ſia la Pianta Stampata dal Contini per ſervizio della Caſa Barberini; perchè parlando del luogo della Famiglia Bulgarini ivi adiacente, e parlando delle ſuddette Cave ſotterranee, non fa poi alcuna menzione del Teatro, con tutto che queſti ſia una delle belle Fabbriche della Villa. Hò oſſervato tutto il muro dell' Orcheſtra, che è intatto; nè in eſſo appariſce minimo ſegno di cavità, e buca, dove poteſſero eſſere collocati i vaſi di Eco, che narra Vitruvio, e che afferma Daniel Barbaro ſuo Eſpoſitore; onde io dubito, che nel diſegnare, e deſcrivere molte coſe antiche, ſiano ſtati talvolta preſi groſſi abbagli ec.

Acceptis litteris die XXVI. Februarii huius anni, nunciatum est Romae in fundamentis, Coenobii S. Apollinaris, quod exstruitur, inventam fuisse columnam eximiae magnitudinis, & raritatis marmoream, *di giallo antico*, quae plurimi aestimatur.

In Nocte Coryth. XLIX. acceptis Litteris, Londini scriptis die XI. Novembris huius an. 1749. nunciatum est, praeteritis diebus in Silva *Hampshire* inventum fuisse veterem arcum & pharetram, in qua recondita viginti quatuor iacula ex arundinibus cum mucrone ex chalybe confecta: censent superfuisse post regnum Guillelmi Ruffi, qui ibi occisus est, iam ab eo tempore DCXLIX. annis elapsis. Pharetra & arcus Londinum perlati sunt, uti monumenta Heroum Familiae Regis Britanniae: illud etiam notandum tum iacula, tum mucrones adhuc intactos esse, nullaque aerugine, & labe corruptos.

Deinde prolatus est Articulus Epistolae scriptae a Cl. Abb. Philippo Venuto ad Amicum, qua antiquum Familiae Aureliae Mausoleum, Romae nuper detectum, his verbis describitur.

La soprintendenza, che il Regnante Pontefice ha data ad un mio Fratello sulle Antichità tutte, che scopronsi a Roma; mi pone in istato di potere su tal particolare sodisfare la vostra curiosità, ed in tal congiuntura adempirò ancora in parte ai miei doveri.

Nel principio adunque del mese di Febbrajo di questo anno 1745. *scavandosi in un Campo, un miglio distante dall' antica Porta Lavicana, detta*

oggi

oggi Porta maggiore, fu ſcoperto un antico ſotterraneo Edifizio, ſtato fatto per Sepolcro de' deſcendenti, e de' Liberti di una Romana Famiglia. Può tale Edifizio dirſi Mauſoleo, ben meritandone tal nome, e per la ſua ſpazioſità, e per gli ornati, che già vi furono. E' di figura rotonda, e ben coſtrutta, ſul guſto de' celebri Mauſolei di Cecilia Metella, figliuola di Quinto Cretico, di Munazio Planco, e dei Plauzj, che ſtanno in piedi finora nella Campagna di Roma, e preſſo Gaeta. Queſto però è appartenente alla Famiglia Aurelia, come dalla Inſcrizione trovatavi ſi deduce; ed è più grande, di quello della Famiglia Cecilia. E' il ſuo diametro di 190. palmi Romani, preſo in tutto il ſuo corpo.

Vi ſi entra per un corridore, o veſtibolo lungo 60. palmi. Da queſto veſtibolo entraſi in una gran Camera di figura quadrata, della quale non mi è nota la miſura. Sono in queſta Camera tre nicchie, che ſembrano deſtinate per tre Statue di Padroni di queſto Sepolcro, le quali però ivi non ſi ſono trovate. Per buona ſorte ne è ſtata conſervata l'Iſcrizione, la quale ci fa ſapere, quali furono i Padroni di queſto Sepolcro. Ella è in tali eſpreſſioni concepita.

M . AVRELIVS . SYNTOMVS
ET . AVRELIAE . MARCIANAE
AEDIFICIVM . CVM . CENOTA
PHIO . FILIIS . LIBERTABVSQ. SVIS.
A . SOLO . EXTRVXIT

Che

Che vale a dire: Marco Aurelio Sintomo fece erigere questo Edifizio con un Cenotafio; ad onore degli Dei Mani, per Aurelia Marciana, per i figliuoli suoi, e pe' suoi Liberti.

Ognun sa, che gli Antichi Romani sempre fabbricavano i Sepolcri loro lungo le strade maestre: e di fatto tale è questo posto sulli confini della Via Prenestina; e da ciò si può con più sicurezza conoscere, dove questa Via conducesse.

De nuper inventis Antiquitatibus ad Resinam prope Regiam Villam Regis utriusque Siciliae, nonnulla superius adnotata sunt, praesertim de eximia marmorea Tabula, quae pictum Nymphaeum exhibet elegantissimum. Effossa quoque est Tabula aerea, quae continet honestam missionem concessam ab Imperatore Claudio Trierarchis & Classiariis militibus aliquot Classis Misenensis apud Retinam consistentes; ubi etiam inventum est ingens aedificium, quod aliqui Navale putant, ubi stationem habebant milites Classiarii. De his litterae a doctis amicis Neapoli scriptae ad Academicos Etruscos adferuntur in Nocte Corythana XXXIV.

Ferunt ibidem quoque inventam basim marmoream cum hac epigraphe.

DIVO . IVLIO
HERCVLANENSES

Colligimus, marmoream statuam Iulio Caesari post eius mortem ab Herculanensibus dedaci-

dicatam, & conspicuo Vrbis loco positam fuisse.

In Nocte Coryth. XLIII. adfertur Epistola docti Amici Neapolitani, qui postquam multa de genuina Inscriptione Equestris Statuae M. Nonii Balbi marmoreae adnotavit, haec subdit; quae uti scripta sunt adferimus.

E' immenso il tesoro delle antiche reliquie di là estratte, e che tutto di sì estraggono. E' impossibile darvene un estratto, o sia un dattaglio; anche perchè non tutto si può vedere. Ne' giorni passati si trovò un' intera belissima Consolare Statua, più grande assai del naturale.

Si è trovato un intero pane antico, simillissimo ad un altro, che è dipinto in un pezzo di maraglia, pure di là estratta. In questo che è nero, e bruciato, si vede ancora la marca del Fornaro assai grande con lettere, che io non potei leggere, perchè sta chiuso dentro un cristallo.

Si è pure scavato un Marmo, che mostra la maniera con cui i Pittori facevano i loro disegni, ed è Greco. Un baßorilievo che è assai bizzarro, mi darà motivo per una Dissertazione, che vi manderò, quando sarà compita, per trasmetterla alla Accademia Etrusca. Haec scribit Amicus Neapolitanus ad Amicum Romanum die XXX. Septembris MDCCXLVIIII.

Inventa quoque memoratur ab eximio antiquo Pictore absoluta Tabula, quae exhibet festivissimos complures Genios quorum quisque aliquam exercet artem, inter quos etiam Funambuli. Pulcherrimo artificio pictae complures personae Scaenicae observantur, & encarpia floribus

bus, ac fructibus mire referta: quae antiquae pictae Tabulae nuper Regiae Pinacothecae antiquae cum ceteris iam memoratis adcesserunt.

Ex alio articulo Epistolae, quae missa est Neapoli, scripta die tertia Septembris, anno MDCCXLVIIII. quae adfertur in Nocte Coryth. XXXVIII. haec innotuere. *Si è trovato nei sotterranei d' Ercolano a' Portici una Casa, che si vede, che fu d' un Uomo ricco; ove si è cavato oro, ed argento in gran quantità, monete, pendenti, anelli &c. Ora si fa una gran Villa regia a Caserta, e vi si spende gran danaro.*

Illud etiam notatu dignum, quod Excell. Princeps *Dominus Fabricius Columna*, magnus Neapolitani Regni Comes Stabuli, dum summo Pontifici Benedicto XIV. de more album equum, vulgo *Chineam*, offerret, erigi iussit Molem admirabilem, & magnificentissimam, noctu ludicris ignibus emittendis incendendam, qua exhibuit antiquum Theatrum Herculanensium, iam inventum iuxta regiam Villam Porticiam, quae accuratissime in Calchographica Tabula aerea expressa est. Hanc Academicis Etruscis ostendit in Nocte Coryth. XXXIX. Cl. Marchio & Eques Venutus.



CA-

CAPVT XII.

VIRORVM ALIQVOT CORTONENSIVM INLVSTRIVM ELOGIA

ACADEMIAE ETRVSCAE CORTONENSIS praecipuum illud & valde laudabile institutum est, ut in dies augeatur ac locupletetur Historia Virorum Inlustrium Cortonensium, eorumque praeclara gesta, ac praesertim in patriam, atque in litterariam rempublicam egregia merita commentariis exposita, atque elucidata, in lucem proferantur. Magna laude, & commendatione plane digni complures Viri, qui in hoc Florilegio memorati a me sunt. Ingens tamen superest numerus, qui implent integrum plenissimum Volumen Historiae praestantium Hominum, quod iam fere confecit Ornatissimus Eques Hierosolymitanus Fr. Hieronymus Serninius, de gloria patriae suae, deque ipsis litteris optime meritus. Splendidissimam hanc spartam totam ei relinquimus; id tantum in votis habentes, ut quantocius fieri possit, hae fruges, ac divitiae eruditionis publico bono depromantur. In iisdem Historicis Commentariis facile locum, ut arbitror, habebunt non paucae etiam nobilissimae Feminae Cortonenses, quae studiis suis litterarum gloriam splendore multo honestarunt.

Illud etiam apud Academicos Etruscos in more positum meritis laudibus ornare tum optimos

Ci-

Cives, tum etiam Exteros quoque, atque eos praecipue, qui Antiquitatis Thesaurum augent quamstudiosissime, & frequenter ad Academicos Cortonenses mittunt eruditas lucubrationes suas, quae in publicis consessibus leguntur, vel quidquid rarum & notatu dignum detectum est, per litteras exponunt, & delineationes cum descriptione animo offerunt lubentissimo, ac liberalissimo. Horum litterae leguntur, & diligenter in Regestis servantur. Quum artes optimae honore alantur, & crescant, & laudibus & gloria ornati clari Viri multo acrius ac vehementius ad res praeclare gerendas incendantur; bene, ac sapienter institutum est, ut meritis honestamentis condecorentur. Inter hos principem obtinent locum Nobilissimi LVCVMONES, qui Litterarum studiis, ac Literatorum laboribus, atque aerumnis humanissima favent liberalitate. Mox celebrantur Academici illi, qui de patriis Antiquitatibus investigatis auctisque optime meriti sunt: quibus cum illi coniunguntur, qui monumentis omnigenae eruditionis dono datis cum Museo, tum Bibliothecae Cortonensi, oblatisque eruditi ingenii curis, eiusdem Academiae incremento, splendori, & gloriae quammaxime student, ac strenuis conatibus opitulantur.

Memorantur igitur in Actis, quae ab Academicis Etruscis lecta sunt, ac perspecta, egregia cum edita, tum inedita opera; quarum vigiliarum, ut specimen aliquod heic exhibeam, ea breviter tangam, quae in hoc ipso Annali luculentius describuntur, ac declarantur. Ad-

no-

notatum est in Nocte Coryth. XIV. ex Clariss. Iosepho Maria Brocchio, Sanctorum, ac Beatorum Florentinorum Biographo, pag. 202. eximiis Scriptoribus Cortonensibus, qui Saeculo XIII. floruerunt, addendum esse *Fr. Vitum de Cortona*, S. Francisci Assisinatis Patriarchae discipulum; nam ipsum scripsisse adfirmat Vitam *B. Humilianae de Cerchiis*, Matronae nobilis Florentinae, eique coaevus fuit: nam eadem Beata Humiliana orta est anno MCCXIX. obiit autem anno MCCXLVI.

Probe teneo, me superius Capite VII. promisisse nonnulla notatu digna adlaturum de eximio Cortonensi Latino Poeta Ioanne Baptista MADALIO; quae nunc praestabo. Huius Carmina tum edita regnante Romae Divo Leone X. tum etiam manu exarata, inter quae complura nondum in lucem prolata, exstant, & adservantur in lectissima Bibliotheca Sellariana. De Madalio pauca haec primum lubet adferre adnotata in Historia Litteraria Serniniana, de qua supra diximus.

Gio: Battista MADALIO fu celebre Poeta Latino del tempo suo. Scrisse molte Elegie, e Poetiche Composizioni Latine, delle quali molte sono alle Stampe. Dimorò molto tempo in Casa del Magnifico Lorenzo de' Medici, Padre di Leone X., a cui molte delle sue Opere dedicò. Fu accettissimo al Cardinal Passerini (Cortonese) che seco lo trattenne molti anni. Filippo Baldacchini nel suo Libro della Fortuna pag. 37. fa di esso menzione onorevole; e similmente lo lodano gli Scrittori tutti Cortonesi.

Aggiungesi, che M. Rinaldo Baldelli nel suo Trattato delle Famiglie Cortonesi, al paragrafo della Famiglia Medagli, *alla lettera M. dice*

Medagli, *ovvero* Mazuoli, *moderni*. „ Di questi fu Gio: Battista Medagli da Cor„ tona, dotto Umanista; del quale mettere„ mo a suo luogo alcune Composizioni quì „ sotto. „ *Fin quì il Baldelli, che visse nel* 1570. *Notisi, che la Famiglia Mazzuoli si trasferì verso la metà del Secolo XVII. scorso a Siena in persona del Capitano Dionisio Mazzuoli, descendente (per quello si crede) dal Celebre Francesco Mazzuoli, detto* il Parmigianino. *Fu celebre Ingegnere, ed Architetto, Scultore, e Capitano d'Artiglieria. Tolse donna a Volterra, d'onde si trasferì a Siena. Da questo discesero eccellenti Pittori, Scultori, ed Architetti, de' quali ne sono anche in oggi. Il verso sotto l'Arme del Card. Passerini nel Palazzo de' Signori Magnifici Priori in Cortona è di Gio: Battista Medalio*. Id superius adnotavimus Cap. VIII. pag. 89.

De Ioanne Baptista MADALIO Poëta, sui temporis eximio, elegantissimoque *Ovidio Cortonensi*, pauca nunc adnotare, operae pretium est ex praelaudatis duobus Codicibus Bibliothecae Sellarianae. Primum delibabo, ea quae continet Codex, qui impressus est, ni fallor, Romae, aureo Divi Leonis Papae Medicei aevo: Hic Codex olim fuit *Francisci Laparellii*, Nobilis Viri Cortonensis. Adposito in fronte Epigrammate manu exarato, ipse Madalius (ut vi-

videtur fato functus) eum adloquitur. Sequitur alterum Epigramma pariter scriptum, quo *Franciscus Vannutius* Patritius Cortonensis ipsum Madalium laudat.

Mox incipiunt Poemata eiusdem Madalii, impressa paginis LVI. quae tamen non numerantur; & quidem hoc ordine.

I. *Io: Baptistae Madalii* (sic scriptum) *Poetae Cortonesis ad Tanaim Nerlium, Petri Tanais filium*, SILVA, cui titulus est LAVRVS. Lauri decus, virtutes, & Daphnes fabulam egregie, atque eleganter exponit. Fuit *Tanais Nerlius* inter Florentinos Proceres nobilissimus, egregius Poeta, cuius Poemata impressa leguntur in Opusculo, quod ab eo LAVRETVM inscriptum est. Hunc multis laudibus ornat *Nicolaus Martellius* in Epistolis suis pag. 18.

II. *Ad Antonium Nerlium Petri Tanais filium eiusdem Madalii SILVA, cui titulus est HEDERA. Antonius Nerlius* in sequenti Epigrammate ibidem adposito Madalium Praeceptorum se obtinuisse gloriatur.

III. *Ad Carolum Becossum MYRTVS*. Deinde sequuntur in Madalii laudem haec Epigrammata.

TANAIS NERLIVS.

Pontanum loquitur generosa Neapolis unum:
Et Carmelitam Mantua docta sacrum.
Facundi gaudent Mutinenses carmine Saxi:
Laetatur Gallo Martia Roma suo.
Nunc quoque MADALIVS dicetur laudibus amplis
In Cortonensi gloria prima solo.

ANTONIVS NERLIVS.

Gaudete Ausonii: post plurima saecula tandem
Vester ab exsilio Naso poeta redit.
Corpus inire aliud, qui nos de corpore, dixit:
Accepere modo verba fidem Samii.
Quis neget? ecce mei noscis sub corde Magistri
Nasonem nostris vivere temporibus.

En igitur tum patrem Tanaim Nerlium, tum eius filium Antonium Phoebea laurea donatos in Litteraria Florentina Historia recensendos, hinc intelligimus. Tot praestantium Poetarum Carmina, nempe *Madalii*, & *Nerliorum*, cur in Florentina Collectione *Carminum Illustrium Poetarum Italorum* Tomo VI. edito anno MDCCXX. praetermissa sint, nescio. In supplementis facile addi poterunt.

IV. Ad hunc ipsum Codicem redeo. Sequitur: *ad D. Antonium Canisianium* (nunc dicimus *Canigiani* ex antiqua nobilissima inter Florentinos Optimates Gente) *Equitem Hierosolymitanum, Io: Baptistae Madalii SILVA, cui titulus est CYPARISSVS.*

In fine haec Carmina ita laudantur a memoratis ornatissimis Viris.

TANAIS NERLIVS.

Qui sacra Madalii legisti Carmina Vatis:
Censuram dicas an mereatur Opus?

AN-

ANTONIVS NERLIVS.

Interiora placent doctae mihi viscera Silvae:
Carminaque & sapiunt, & bene culta iuvant.

Antiqua CCC. Proverbia, quae in ore sapientum, atque etiam interdum populariumsunt, totidem perelegantibus Distichis mirifico ingenio, & lepore expressit Madalius, quae ita dedicavit, atque inscripsit:

V. „ Io: Baptistae Madalii Corton. ad Pe„ trum Franciscum MEDICEN PROVERBIA. „ Eum ita in dedicatione adloquitur:

Parve liber celeri MEDICVM pete limina gressu:
Grataque fer Domini dona futura tui.
Namque licet tota Vates ex urbe fugentur;
Vsque tamen Musis haec Domus una patet.
Vade, sed admissus fac commoda tempora serves:
Nam mage captato tempore cuncta placent.
Cum tua conspiciet placido munuscula vultu,
Madalius dicas hoc tibi mittit opus.
Cur mensura brevis tibi sit, si forte requirat:
Dic virtus parvo corpore maior inest.
Maius Erythraei precium meruere lapilli;
Quam de Tyrrhenis grandia saxa iugis.
Quid mirum est, vastum si flumina continet aequor?
Id, fluvius totum si capit, aequor erit.
Hinc si scire velit, potius cur Disticha mittam;
Dic vulgata brevi carmine dicta iuvant.
I, demum felix: at si mordebere, dentis
Cum tibi sit Medicus, vulnera nulla time.

VI. Coronidem Codici imponunt duo Epigrammata, quae ſilentio minime praetereunda eſſe cenſui.

EPITAPHIVM DEAE CORTONENSIS.

Quiſquis es, hic quaeſo, paullum conſiſte Viator:
Carminaque haec madidis perlege pauca genis.
Patria cui CORYTHVS, clarique fuere parentes:
Hoc Dea ſub duro marmore clauſa cubo.
Aurum, forma, pudor, morerer quin flore inventae,
Flectere fatales non valuere Deas.
Sola urina mihi poterat ſuccurrere: cuius
Clauſit iter nimio menſtruus orbe tumor.
At Dea ſi cecidi, & mortem evitare nequivi;
Mortalis fugiet quomodo turba necem?
Diſce igitur nullis mundi confidere rebus:
Haec ego te volui noſſe, Viator, abi.

AD F. APOLLONIVM MINIATENSEM.

Bacchus, Apollo, Venus, tria Numina magna tuentur
Vates: nec culto crine carere ſinunt.
Namque hedera, ac lauro myrtoque virentia cingunt
Tempora: pro numeris terna corona datur.
Te reor arboreo cum munere forte careres,
Madalio donis conſuluiſſe novis:
Bacchus vina, modos Phoebus, Venus alma columbas,
Quae mihi miſiſti, cuncta referre ſolent.
Munera, quae ſacris praebent tria Numina Muſis;
Cum dederis ſolus, Numina vincis homo.
Vina, columbarum pullos, carmenque dediſti,
Tu triplex triplici munere numen habes.

Cre-

Crede igitur, semper dederis si talia nobis,
Tu Venus ac, Bacchus, tu mihi Phoebus eris.

Heic explicit Codex; nulla adiecta notitia loci ubi impressus est.

VII. Ad alterum eximium manu conscriptum Codicem Sellarianae Bibliothecae adcedo, e quo pauca haec veluti e Musarum amoenissimo viridario perlubet decerpere. Primum in eo Gregorii Tifernii Poemata adferuntur; Medalii vero in eo multa sine ordine posita, cum aliis intermixta leguntur; quae heic enumerare consilium est. Pag. 26. eiusdem Codicis adfertur eiusdem I. B. Madalii Elegia in laudem patriae suae Cortonae ad *D. Marcum Antonium Laparellium*; cuius primos versus nunc dabo, reliquos alibi, nam ex his laudes nobilissimi Civis, quae ad hunc ipsum locum ornandum pertinent, eruuntur.

Maxime Dux, Marce Antoni, dignissime princeps
Vrbis, & antiquae vir decus ipse meae.
Gloria, fama, decus, Musarum clare Sacerdos,
Vnica doctorum spesque salusque virûm.
Historias quamvis tibi suspicor esse patentes
Antiquas omnes; sed tamen ista silet.

VIII. Mox sequitur praenobile Poema, quod PARNASVS inscribitur, praemisso dedicationis titulo, nempe Epigrammate decem versuum ad L. Alpherium, quem laudat, & ipsum praeclarum Musarum alumnum.

IX. Adcedit Elegia *Mariano Corythonensi Ordinis Minorum Custodi.*

X. Idem *integerrimo, ac eruditissimo Adolescenti Scipioni Pandordeo Corythonensi.*

Mox alterum sequitur, hoc cum exordio:

Quam bene limatum nuper tua Musa retexit
Carmen, & ad nostros iussit adire Lares!
Non equidem posset facundo pectore dici,
Quam placuit digitis scripta tabella tuis &c.

XI. Sequuntur alia, sed partim foedata, & deleta, multa tamen profert in laudem patriae suae, & illustrium Civium; quod Poemation ita Madalius concludit.

Ergo tribus plures peraguntur milibus anni,
Ex quo sunt Corythi condita tecta tui.
Dardanus, Aeneas, & filius inde Quirinus,
Hinc Latiae Caesar gloria gentis adest.
Quis neget hos igitur Corythum posuisse penates,
Quis neget has patrias incoluisse domos?
Grata Deis tellus: nullis superabilis armis,
Et populosa viris, & spatiosa magis.
Sunt Corythona tibi numerosa palatia rure,
Et Cerere, & Baccho fertilis omnis ager.
Sunt tibi consilio validi, nec non tibi Cives
Eloquio clari, sed gravitate magis.
Aurato insignes titulo: doctique Poetae,
Iuristae, Astrologi, ...
Hanc superi servent Vrbem, sanctumque Senatum.
Exultent, Cives, gestiat hic populus.
Vrbs crescat: Michael servet haec moenia, Marcus
Divi: sit fautrix Mater & alma Dei.

XII. Se-

XII. Sequitur Elegia de ſuis amoribus *ad Marioctum*. Pag. 51. legitur hoc eiusdem Madalii Epigramma, de quo infra num. 53.

Nàſonem Sulmo loquitur; Verona Catullum:
Vda cothurnato Mantua vate tumet.
Fervida doctiloquo laetatur Africa Flacco;
Corduba Lucanum tollit in aſtrà ſuum.
Hiſpani laſciva probant Epigrammata Cives:
Ipſe ferar Corythi gloria ſumma mei.

Alterum *ad Vrſinam* infra num. 67. *ad Alexandrum Felſineum* num. 68. *ad Petrum Laparellum* num. 69. Pag. 70. huius Codicis poſt Epitaphia Inluſtrium Virorum occurrit eiusdem Madalii Elegia, cuius argumentum *Fugitivi leporis exemplo, libertatem eſſe rebus omnibus anteferendam* Pag. 73. Eiusdem Elegia *ad Nicolaum Bal.* ut puto *Baldellium*, quae eſt elegantiſſima, adfertur.

Quod ſequitur Carmen inſcriptum HEROICA SILVA, eidem Madalio tribuendum videtur, licet eius nomen non praeferat. Habetur pag. 78. Elegia *ad Marioctum*; qui nam vero hic ſit, ex ſequentibus liquet: ea ita incipit:

Caerula iam roſeo vehitur ſuper aequora curru.

Pag. 87. *Elegia de Domini Noſtri Ieſu Chriſti Nativitate* ad R. Patrem Dominum *Iuſtum Praepoſitum* Cortonenſem. Item eiusdem *Hymnus in Domini Nativitate*. Pag. 94. *Ad D. Ioannem Baptiſtam de Vannutiis de Obitu*

fra-

fratris. Pag. 95. *Marioćto Passerinio Physico Corythonensi*. Pag. 97. sequuntur complura Madalii *Epigrammata*; diversa tamen manu exscripta: item *Eclogae duae Pastorales*.

In fine tandem huius Codicis pag. 117. habetur eiusdem praestantissimi Madalii Elegia ad *Marioćtum*; quam finem versus ornat laudibus *Petri Soderinii*; famigeratissimi Florentinae Reipublicae perpetui Vexilliferi Iustitiae: cuius gesta antea inedita; a Silvano Razio descripta; nuper edenda curavit Nobilissimus Petrus Comes Soderinius Vir Patricius tum Florentinus, tum Romanus; & volumen illud magnifico cultu, elegantissimisque ornamentis & monumentis praeclarissimae Gentis suae locupletavit. Hoc ipsum mihi, & Inlustri Soc. Columbariae Flor. in qua adscriptus est, dono dedit.

In eodem Sellariano Codice prmum scripta leguntur Poemata GREGORII TIFERNII, qui patria Cortonensis fuit. Celebre est huius eximii Poetae nomen, adeoque tam notum, ut nil addi possit. Inter eius Poemata in hoc Codice chartaceo quartâ forma haec habentur.

I. *Hymnus in Trinitatem.*
II. *Hymnus in Virginem Mariam.*
III. *Triumphus.*
IV. *Epigramma in laudem Navalis Veneti.*
V. *Epigramma ad Petrum Aureolanum.*
VI. *Ode ad Petrum Bombellium.*
VII. *Ode ad Ludovicum Mantuae Principem Illustrissimum.*
VIII. *Eiptaphium Silvinae puellae.*

IX. Epi-

Poemata huius clarissimi Viri perpauca haec in lucem prodiere Flor. in Tomo IX. inter *Carmina Inlustrium Poetarum Italorum* pag. 264. nempe *Vaticinium cladis Italiae* num. XXIV. *De miseria humana*, seu *vitae fragilitate* n. XXXII. et re-

& reliqua, quae heic recensita sunt n. XI. XVIII. XXVIII. XXXI.

Pag. 41. sequuntur *Epitaphia Inlustrium Virorum*, quorum mihi Auctores ignoti; aliqua tamen a Madalio exercendi ingenii caussa forsitan confecta; plane elegantissima sunt, & non pauca multum lucis Historiae eorum temporum adferre possunt.

EPITAPHIA.

1. *Octaviani Imperat.*
2. *Alexandri Sphorzae.*
3. *Constantii Sphorzae.*
4. *Leonis Sphorzae Constantii F.*
5. *Galeatii Sphorzae Mediol.*
6. *Iacobi Picinini.*
7. *Senecae Cordubensis. Epitaph. Pueri.*
8. *Dantis Poetae Flor.*
9 *Friderici Duc. Vrbini.*
10. *Roberti Sansae.*
11. *Scipionis Africani.*
12. *Antenoris Troiani.*
13. *Scipionis Afr. Maioris.*
14. *Hersilii, & Smiraldae.*
15. *Aliud, & alio modo.*
16. *An. Bi. Eq. Senens.*
17. *Rhosae puellae Ilcinensis a viro iugulatae ob zelotypiam Alex. Felsinei.*
18. Lupi *Eq. & Poetae Patavini.*
19. *Epitaph. cuiusdam Potoris.*
20. *Syxti Pont. Max.*
21. *Iohannis Boccaccii.*

22. Cal-

51. Epi-

51. *Epith. Iulii II. Pont. Max.*
52. *Epigr. Marrasii Siculi.*
53. *Epigr. Madalii Corythonensis.*
54. *Epigr. ex dictis Divi Bernardi.*
55. *Gorii Vatis Carmen.*
56. *Alex. Fels. ad formosum Adolescentem.*
57. *De quodam Pictore.*
58. *Carmen Religionem ingredientis.*
59. *Eiusdem Poetae ad Puerum.*
60. *Epithaphium Malatestae.*
61. *Alex. Fels. Naenia.*
62. *Epith. Adolescentis.*
63. *Carmina Magni Turci ad Pium II. Pont. Max.*
64. *Epigr. cuiusdam Vatis.*
65. *M. Ianarinus Arretinus M. Antonio Laparellio Corythonensi sub nomine divae Margaritae.*
66. *Idem eidem.*
67. *Io. Bapt. Madali ad Vrsinam.*
68. *Io. Bapt. Madalii in Alexandrum Felsineum.*
69. *Eiusdem ad Petrum Laparellium.*
70. *Eiusdem de Lucretia Romana.*
71. *Elegia Vatis anonymi.*
72. *Laudivii Equitis Hierosol. Ode ad F. Marcellum.*
73. *Idem ad Delium.*
74. *Ad Thomam Siculum.*
75. *Ad Nicolaum Principem Estensem.*
76. *Eiusdem Laudivii Epigramma.*
77. *De Iuvene equi ruina consternato.*
78. *De triumpho Augusti.*

79. *Ad*

107. *In*

Complures inlustres Viri Cortonenses, de litteris optime meriti, innotuere expenso in Corythanis Noctibus superius memoratis, ac praesertim in XL. alio eximio Codice chartaceo, qui exstat in Bibliotheca Sellariana, quique saeculo XV. exaratus est. Bonas litteras in pretio Cortonae habitas, atque excultas docet, testaturque adolescentes in re Grammatica per hosce doctos viros ea aetate probe instructos fuisse. Inter hosce egregios Grammaticos eminet, & multa cum laude memoratur SILVESTER CORTONENSIS, quo cum arctissimo amicitiae vinculo iunctus est *Gaspar de Regio*, quorum mutuae Epistolae in eodem Sellariano Codice adferuntur. Memoratur etiam GVIDO INSVLANVS, Grammaticae artis Praeceptor apud Perusinos; quem patria Cortonensem fuisse, & Cortonae Grammaticas institutiones dedisse veteresque Auctores interpretasse, ex iisdem Epistolis colligimus.

Qua

Qua praestarent eruditione hi, qui apud Veteres *Grammatici* dicebantur, nuper ex lucubrationibus, ac Dissertationibus praestantium Litteratorum, praesertim Petri Burmanni Iun. Franc. Oudendorpii, & Io. Ernesti Immanuelis Walchii pererudite ostensum, atque exploratum est. Hi emendandis inquinatis Codicibus operam summo studio, ac diligentia dabant. *Gaspar de Regio* in Epistola ad *Silvestrum Cortonensem*, gratias ei agit plurimas, quod ab eo pervetustum Festi Codicem accepisset, ut sibi exscriberet. Complures Epistolae in hoc Codice adferuntur: ex his perpaucas hasce, quia multa notatu digna continent, excerpere, atque exscribere operae pretium me facturum putavi; quae nunc primum ex ipso penu vetustatis, in quo latuere, depromtae in lucem a me proferuntur.

Sed antequam id faciam perlubet alios Litteratos Viros nominare, ad quos Epistolae scriptae sunt; mox nonnulla de iisdem Auctoribus adnotare, quae ad Historiam eius aevi litterariam pertinent. Scripsit idem *Silvester* Cort. Epistolam ad *Nicolaum Matthaei Ioannis Thomae de Cortona*. Hanc, Codicis ordinem secutus, primo loco mox proferam. Hic Silvester *Cortonensis* creditur a Cortonensibus patriae Historiae peritissimis, quod fuerit filius *Ristori*, *Tofani* (nempe *Christophori*) nepos, e nobili Familia Cortonensi *de Ristoris*, quae ad hoc tempus floret, vigetque. *Nicolaus* vero, ad quem scripsit Silvester, ex antiquis monumentis eruimus fuisse Iuris utriusque Doctorem, atque

e nobilissima Tommasiorum Familia Cortonensi: quod luculentius mox adstruetur, quum sermo *de Claris Historicis Cortonensibus* instituetur.

De *Sancte*, sive *Sanctio* Cortonensi, nihil ad hunc diem innotuit praeter haec, quae nobis exhibet pretiosus hic Codex Sellarianus. Constat eum saeculo XV. floruisse, & in litteris excolendis praestantem laudem obtinuisse. Profecto ex antiquis Cortonensibus Historicis perspicuum est, eam *Sanctorum* familiam, sive *de Sanctis*, olim floruisse, quae exstincta hodie est.

Vagnuccia Familia, inter Cortonenses nobilitatis splendore ornatissima, multos Inlustres Viros numerat, inter quos adcensendus hic Dominus Iacobus de Vagnucciis, Summi Pontifices Nicolai V. familiaris, qui in Sacro Palatio commorabatur anno MCCCCXLVII. Summum Ecclesiae Hierarcham hunc aliosque egregios doctrina, & moribus Viros impense amasse, & munificentia exornasse, constat. *De claris Perusinis* Grammaticis, qui in hoc ipso Codice laudantur, multa adnotari heic possent, ni extra choream progredi viderer.

Adde alios complures, ad quos sua Poemata scribit Ioannes Baptista Madalius, qui superius indicantur. Iidem Vannutii ab eo dicti, qui in Sellariano Codice, (de quo superius pag. *66.* ibi & seqq. multa adnotavimus,) atque in patriis Historicis monimentis, *Vagnucci*, ut & hodie, dicuntur.

EPI-

EPISTOLA I.

Ad Nicolaum, Matthaei, Ioannis, Thomae de Cortona.

„ SIlvester Cortonensis S. D. Nicolao suo.
„ Laetum, ac iocundum hodie accepi nun-
„ tium, & qui magnum mihi attulit gaudium:
„ cum ab Honophrio Vagnuccio concive nostro
„ nuper ad patriam remeante, te cum viro quo-
„ dam praestantissimo, & pro sacrosancta Ro-
„ mana Ecclesia Collectore, honorabiliter, utili-
„ terque in Hispaniam profecturum audierim.
„ Scriptum etenim est, gloriam agendo, per-
„ constantoque parari. Bonum est enim
„ neque fortunae, neque tempori turpiter
„ cedere; sed impigrum, magnanimumque om-
„ nibus se praestare. Invenisti igitur, mi
„ Nicolae, si vera sunt, quae afferuntur, locum
„ te imprimis dignum: quam rem mihi certe
„ scias gaudio esse, cum ob multa alia, tum
„ maxime, quod & parentes, & affines tuos,
„ & me, qui tuus sum, & compatriotas alios
„ quoscumque nostros plurimum iuvare poteris,
„ quum felicitatem, aut honorem, aut dignita-
„ tem aliquam fueris adeptus, quocumque
„ tuum auxilium implorare fuerit futurum. Tu
„ autem si fratres tuos, qui trans mare ne-
„ gotiantur, militantque, adieris, iube illos om-
„ nes meo nomine salvere, & maxime Philip-
„ pum: vehementer enim illum amo, atque di-
„ ligo, ac si meus esset frater. Errores enim

„ in his litterulis, si qui insunt, ad unum e-
„ menda; nihil quippe recte scriptum, aut
„ dictum puto: de quibus omnibus, & rebus tuis,
„ ut me certiorem facias, oro. Vale, & me
„ ama, ut soles. Cortonae XVIII. Kal. Fe-
„ bruarias, Nativitatis Domini anno M.CCCC.-
„ XLVII.

In sequenti Epistola ad eumdem Nicolaum dolet Silvester sibi non occurrisse concives suos *Ser Christophorum*, & *Honuphrium Vagnuccium*, qui diversum iter tenuere. Rogat deinde, ut si quos libros habet, vel *Gasparini* Epistolas, vel *Caesaris Commentaria* de Civili Bello, vel *Senecae* Declamationes, Michaeli suo scribat, ut ei per aliquot dies concedat ad exscribendum. Ex Cortona XIV. Kal. Martias M.CCCC.XLVII.

Sequuntur Nicolai Cortonensis ad praefatum Silvestrum aliquot Epistolae.

EPISTOLA II.

Ejusdem Silvestri ad Dominum Iacobum de Vagnucciis in Sacro Palatio commorantem Romae.

„ SIlvester Iacobo Vagnuccio Cor. S. D. Etsi
„ non dubitabam quin pro loco mihi aliquo
„ vel dando, vel acquirendo intentus vigila-
„ res, cum propter innatam quamdam, ut ita
„ loquar, tuae virtutis opinionem, & ea, quae
„ cum abs te discessi novissime promisisti; tum
„ propter ea, quae Nicolaus noster nuperri-
me

„ me ad me de tua erga nos ſcripſit benevo-
„ lentia & charitate; tamen aliquid ad te
„ ſcribere, ut ea mente teneas, fore non inu-
„ tile iudicavi. Quamobrem, Iacobe mi ſua-
„ viſſime, ut non omnia perquiram; quampau-
„ ca tecum etiam plura ſunt; quoniam ſatis es
„ mei memor, ſi quid boni hic eſſet, quo me
„ dignum iudicaveris. Negocium autem illum
„ Monialium, de quo his ſuperioribus tecum
„ ſaepe verba feci, uti memoriae teneas, oro,
„ ne per adverſarios noſtros aliquid in con-
„ trarium moliatur. Familiariter enim &
„ in ſingulari locutus ſum, ut antiquitatis quid
„ litterae iſtae redoleant: de quibus omnibus
„ ut me excuſatum habeas oro; ſi in aliquo
„ te offendi. Iterum vale. Ex Cortona IV. No-
„ nas Aprilis Nativitatis Domini anno M.
„ CCCC.XLVII.

EPISTOLA III.

Eiusdem Silveſtri ad praefatum Nicolaum
S. C. N. C. S. D.

„ HOc eſt: *Silveſter Cortonenſis Nicolao Cor-*
„ *tonenſi ſalutem dicit*. Conſtantio Presby-
„ tero atque Canonico noſtro partem illam
„ Vergilii, quoniam Iohannes ille noſter Men-
„ carelli longius hinc moram trahere videba-
„ tur, ad te perferendam, dedi. Sunt enim
„ quinterniones ſeptem [1], plures equidem non-
„ dum abſolvi. De cura vero, ac diligentia

(1) *Hi exſtant in Bibl. Sellariana in Cod. Chart. in 4.*

„ erga illum aliquid ad te ſcribere ſuperfluum
„ videtur, atque inane. Scio enim te plures
„ adhibiturum, quam ego aut ſcirem, aut poſ-
„ ſem. Sed haec de libro plura ſunt, quam
„ ſatis. De re vero noſtra reſcribe quid po-
„ ſtea ſit actum, & non tamen ita breviter,
„ quantum ſuperioribus feciſti; & de veſti-
„ tu, ut alias tibi ſcripſi, quid tibi me fa-
„ cere videatur, uti edoceas oro. Vale. Ex
„ Cortona IV. Non. Novembr. M.CCCC.XLVII.

EPISTOLA IV.

Eiusdem Silveſtri ad Guidonem Inſulanum, Grammaticae Praeceptorem Peruſii.

„ *Silveſter Guidoni G. Peruſino S. D.* Creavit his
„ ſuperioribus diebus haec Civitas Viros tres
„ ad Praeceptorem quempiam in arte Gramma-
„ tica eligendum pro anno, ſcilicet ab XVII.
„ Kal. Ianuarias proxime incipiendo: quorum
„ eſt unus Thomas Chriſtophori Rentii Nota-
„ rius; alter vero Michael Angelus Nicolai
„ Angeli, qui vulgo dicitur del Peccia; ter-
„ tius autem placuit, ut & ego ſim, ad nu-
„ merum, ut opinor, perficiendum; omnes e-
„ nim condiſcipuli tibi fuimus. Huic igitur ne-
„ gocio toto animo incumbentes, exiſtimavi-
„ mus in primis, unaque decrevimus ad te
„ ſcribendum fore, ut ſi qua fieri poſſet, ut
„ tui opera, atque interceſſione, quamoptimum
„ haberemus. Quare te rogamus, atque ora-

mus

„ mus; ut ſuper hoc ipſo tibi placeat huiu-
„ ſce Civitatis commodis, utilitatique ſervire,
„ & omnem adhibere diligentiam, ut quam-
„ ſpectantiſſimum habeamus, ſi quis iſthic, vel
„ alibi eſſet penitus tibi notus. Deſideramus
„ enim quemque habere litterarum ſatis peri-
„ tum, & bonis artibus, moribuſque imbutum,
„ & ſapientiorem, ac diligentiorem, quam quos
„ per ſuperiora tempora habuerimus; nam i-
„ ſtiuſmodi ubique terrarum quamplurimi ver-
„ ſantur; at circumvoluto anno, parum pueris
„ prodeſſe inveniuntur. Sed haec ſatis: tu vero
„ longe melius noſti, quam edicere valerem.
„ Fertur praeterea a nonnullis iſthinc venientibus
„ te apud nos per aliquot menſes moram tra-
„ here velle, dixiſſe; quam rem nobis certe
„ ſcias gaudio fuiſſe, & ut facias, magnopere
„ exoramus: tui quippe experientia, aliorum-
„ que tibi in eo magiſterio ſuccedentium de-
„ mum effecit, ut ab omnibus tui reditus deſide-
„ retur. Quare ſi fieri poteſt, deſiderium no-
„ ſtrum adimple; & erit id quidem omni po-
„ pulo huius civitatis, multitudinique pergra-
„ tum. Salarium enim erit, ut opinor, ad libi-
„ tum. At vero nihil aliud eſt reliquum, niſi ut
„ te orem, uti quamcitius reſcribere digneris.
„ Vale. Caſtiga huius Epiſtolae errores. Ni-
„ hil equidem recte ſcriptum, aut dictum puto;
„ de quibus omnibus, ut me certiorem facias,
„ oro. Nobis autem licet mercedem exten-
„ dere ad florenos ſexaginta abſque ulla pue-
„ rorum penſione; ultra vero minime, niſi
„ tu quidem venire velles. Iterum vale.

„ Ex Cortona VII. Idus Novembr. M.CCCC.-
„ XLVII.

Sequuntur Epiſtolae binae praefati Nicolai ad Silveſtrum, & eiusdem Silveſtri ad Nicolaum, qui ad eum perferri ſe curaſſe ait Priscianum, & veterem Ciceronis Rhetoricam. Deinde adfertur Guidonis Peruſini ad eundem Silveſtrum epiſtola; quae quum valde luculenta, & prolixa ſit, heic non habent locum niſi ex ea haec excerpta. Oſtendit ſummam ſuam erga Cortonenſem Remp. obſervationem, & fidem. Doctum, & probum, idoneumque Grammaticum invenire ait difficile, licet propoſita mercede ampliſſima; nam pauci praeſtant officium ſuum: orat, ut alium, quem conſulat, inveniat. Hortatur, ut in officio hoc continuare faciat Antonium Reginum, virum ſane eruditum, & nulla turpitudinis labe notandum. Proponit etiam, & laudat Bartholomaeum quemdam ſibi notum a Paſſignano propter Caſtilionem ad Lacum. Peſtem Peruſii graſſantem deſcribit. *Lues*, inquit, *habet magna ex parte Picenenſe ſolum; creberrimi ſpirant Auſtri: turbida fere incumbit tempeſtas. Caelum Inſulae noſtrae valitudini meae parum favet*. Si qua cauſa interea fuerit, ſe ad eos convolaturum ſcribit. Ad Natalem Salvatoris noſtri diem ſe viſere conſtituiſſe domum ſuam, & ſe tunc ſcripturum cum erit in Inſula. Hortatur, ut ſtudiis optimarum artium, ſe totum addicat, & nobili Iuriſconſulto B. T. ſuo nomine ſalutem ut dicat plurimam, rogat. *Ex Peruſio Nonis Decembris M.-CCCC.XLVII.*

Sc-

Sequitur officiosa Sanctis Cortonensis Epistola ad praelaudatum Silvestrum: deinde

EPISTOLA V.

Guidonis Perusini ad praefatum Silvestrum.
Guido Grammaticus Silvestro Cortonensi P. S. D.

„ PRomiseram tibi superioribus litteris ad sa„ cratissimum nati Salvatoris festum, quae„ que de re nostra consilii ratio, praeter quam „ antea tibi scripsissem, oblata mihi esset, fa„ cere te certiorem: nunc adest iam promis„ sa dies; dicta igitur re comprobo. Pestilens „ caeli vitium nihil se se remittit, atque mo„ rem obtinet suum. Nunc enim duos, nunc „ tres, interim octo, & decem, & eo mul„ to plures interimit die. Quum nemo inci„ dit in morbum, aut oppetit mortem, salu„ britatem urbi restitutam putares: tum acer „ ille morbus derepente invadit, atque interi„ mit quempiam. Vna omnium sententia, quum „ hiems primum concedere incoeperit calori„ bus (quod omen Dii avertant) vere ma„ lum augescet miserum in modum. Studia i„ gitur languescunt in dies, & Professores no„ stri omnes pavitanti animo sunt, & arri„ piunt fugam; ut quamprimum, si satis causae „ fuerit, patrios deserant lares: idque ego cum „ illis facio: compono res meas, ut cum li„ cebit, nihil in mora sit, quin abeam; quod „ an erit, aut quando erit, scit Deus. Ego

cer-

„ certe credo non defore, neque longius ab-
„ fore, quin clausis hic subito Auditoriis, &
„ interrupta studiorum opera, ad vos me con-
„ ferre possim. Interea nollem causa mea la-
„ bores vestros carere commoditate. Vos igi-
„ tur videte etiam, atque etiam satius ne sit
„ vestra in civitate manere me, an aliunde vo-
„ bis consulere. Quo autem in loco apud vos
„ res nunc est, quidve actum sit, & quae
„ tua sententia quamprimum poteris, mihi scri-
„ bere non gravaberis. Vale & me ama. Ex
„ Perusio XII. Kal. Ianuarius M.CCCC.XLVII.

Respondet Guidoni Perusino Silvester duabus Epistolis. Priore Praeceptoris electionem dilatam esse dicit, usquedum certiora scribat, & veniat: ac nihil praetermissurum eorum, quae ad officium boni viri & patriae commodis, utilitatique studentis, atque amici videntur pertinere, promittit. Scripta est pridie Kal. Ianuarii M.CCCC.-XLVII. Altera vero, quod non respondeat, rem in irritum labi posse non esse dubium, adfirmat. Cort. XV. Kal. Februarias anno MCCCCXLVIII.

Altera sequenti Epistola, queritur Guido Perusinus cum Silvestro Nobili Cortonensi, & moleste se ferre dicit, quod ad Grammaticam docendam reiecerit Magistratus Antonium Reginum, & se non adciverint, uti cupiebat; nec curasse de salario centum numûm aureorum; sed ad hoc munus cum laude, & fructu sustinendum, lubentissime se iam paratum narrat; quia volebat *in antiquas sedes hospitio recipi, in eo hospi-*

ſpitio manſurus aequo iure uſque dum ſibi licitum , & Cortonenſibus libitum foret . Ex morbi contagio mortuum deflet, & laudibus proſequitur *Marianum Peruſinum*, & quemdam *Fratrem S. Franciſci* apud Montis Fanum. Narrat etiam datum a Populo Florentino Cortonenſibus Praeſidem in ſemeſtre tempus. Dat. ex Peruſio XVI. Kal. Februarias an. M.CCCC.XLVIII. Aliae Epiſtolae nondum editae ex eodem Codice Sellariano mox proferentur.

Oſtenſus eſt etiam in eadem Noct.Cor. a March. Eq. Venuto liber *Cortonae* impreſſus anno 1546. ab *Antonio*, & *Nicolao* Sociis. Hunc praefert titulum: *Hieronymi Caphari Salernitani de conſcribendis Epiſtolis*, *deque Orthographia*. Adfertur Elegia, cuius auctor *Benedictus Bonius* Cortonenſis: & tria Epigrammata. *Petri Mariae Baldacchinii*. Tractatum de Orthographia praecedit Epigramma *Philippi Venuti* Cortonenſis, & Epiſtola praelaudati *Caphari Salernitani* ſcripta eximio utriuſque Iuris perito *Guido Orſello Cortonenſi*. Alii non pauci illuſtres Viri Cortonenſes memorantur, ut ſuperius pag. 69. vidimus; non pauci etiam in ſequenti Capite enumerantur, editis eorum ſelectis aliquot monumentis; ſiquidem promiſi ſuperius Cap. VIII. nonnulla memoratu digna me adnotaturum ex iisdem Noct.

Laudatus eſt in Nocte Coryth. XII. Doctor *Petrus Antonius Sanctuccius* Cortonenſis, cuius Carmina lecta ſunt, Bononiae edita per *Laelium della Volpe* in 8. anno 1733. cum hoc titulo: *Poeſie Toſcane ſciolte*, *Tomo* I. &c.

In Nocte Coryth. XXIV. memoratur cum lau-

laude *D. Abbas Comes Guasco* Pedemontanus; qui degit Burdigalae, Socius Etruſcus; qui ab Academia Regia Pariſienſi ternis vicibus praemium obtinuit. Argumentum tertii praemii fuit: *qui nam eſſet ſtatus Litteraturae in Galliis, regnante Ludovico XI. Galliarum Rege.*

In Nocte Coryth. V. dum commendaretur Catalogus, & Hiſtoria Serniniana Inluſtrium Virorum Cortonenſium, ſermo incidit de Equeſtri Statua Henrici IV. Galliarum Regis. Hoc opus fecit *Petrus Biardus*, diſcipulus divini Michaelis Angeli Bonarrotii, quae exſtat in medio ſupra Portam Regiae Villae, de qua Salmonius Vol. XVI. pag. 34. Ex Italica Verſione Venetiis edita, curante Io: Baptiſtra Albritio.

Haec deinde adnotata n. 308. prolata ſunt: *Domenico Bernabei di Cortona fu Scolare di Giuliano da S. Gallo; dal quale partitoſi, portoſſi a Parigi, e fu dichiarato da Franceſco Primo Rè di Francia ſuo Architetto, con buono ſtipendio. Fece il ſuddetto Rè fabbricare due magnifici Palazzi; nel primo de quali, che fu terminato, ſi legge nella faſcia del cornicione:* DOMINICVS DE CORTONA ARCHITECTVS. *Morì in Parigi l' anno* 1549. *eſſendo al ſervizio di Errigo II., ſucceſſore del Rè Franceſco.*

Publicum iſtud Pariſienſe Palatium preleganti fronte ornatum exſtructumque, iuxta exemplar delineatum ab eodem Dominico Cortonenſi Architecto magni nominis, adhuc cernitur in Platea ſitum, quod vulgo *Hotel de Ville* vocant.

Deſcriptum eſt in Nocte Coryth. XVII. per-

perelegans Altare duplici ſacra Menſa inſtructum, ut in utraque divinum Myſterium peragi poſſit; ex Cortonenſi lapide, ordine compoſito aedificatum in Eccleſia B. M. Virginis de Conſolatione *in Caſtiglione Fiorentino*; in quo Altari exſtat haec epigraphe.

PHILIPPVS
BERRETTINIVS
CORTONENSIS
ARCHITECTVS
INVENTOR
INCISORQVE
FVIT
A . D . MDCXXXIV.

Haec adnotavit D. Horatius Macarius A. E. & Nobilis Cortonenſis. Plura eiusdem Inſignis Architecti Monumenta Cortonae exſtant, de quibus in praecedentibus Noct. Coryth. fuſius ſcriptum eſt, quum de celeberrima Berrettinia Familia Cortonenſi agitur, e qua originem ſuam accepit *Petrus de Cortona*, Pictor eximius.

In Coetu habito ad Academicos Etruſcos recitata eſt Diſſertatio in antiquum Marmor Cortonenſe epigraphe ornatum.

CAPVT XIII.

CORTONENSIVM MONVMENTA PATRIÆ HISTORICA EX CODICIBVS CORTONENSIBVS NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.

ESti non pauca ad Hiſtoriam Cortonenſem tum Eccleſiaſticam, tum Civilem ſubſidia in ſuperioribus capitibus adnotata ſint; alia tamen plura ſuper unt, e quibus veluti uberrima antiquae eruditionis ſegete ſpicas haſce pauculas ſeleginius, quae in Nocte Corythana XL Academicorum Etruſcorum cura, & ſtudio collecta, breviter deſcripta ſunt.

Plurimum ipſi ſe debere fatentur diligentiae Praeſtantis Viri Thomae Bracciolii, Canonici Cortonenſis, qui floruit labente ſaeculo XVI. cuius Familia generis nobilitate conſpicua, licet exſtincta ſit, magnopere tamen celebranda eſt, & tunc maxime celebrabitur quum eiusdem Cl. Bracciolii Monumenta Hiſtorica in lucem proferentur, quae in pluribus Cortonenſibus Bibliothecis ſervantur; atque eo magis, quia idem Canonicus de patriae ſuae gloria optime meritus in alio Codice chartaceo in folio accurate conlegit, ac digeſſit circiter annum MDLX. quidquid multo antea a variis Hiſtoriographis Cort. ſcriptum fuerat, quod ad patriam Hiſtoriam inclutae Vrbis ſuae ſpectaret.

Opti-

Optimum Codicem Bracciolianum multo in pretio habendum, adnotant, in fine Saec. XVI. exaratum cum hoc titulo: *Raccolta di varie Cronichette di alcuni Istorici Cortonesi del Secolo XIV. e del Secolo XV.* In eadem Nocte Coryth. Academicis Etruscis ostendit praelaudatus Cl. Eq. Hierosol. Ioannes Hieronymus Serninius, diligentissimus patriorum monumentorum Vindex & Interpres, hunc Codicem, quem apud se servat.

In parvo Chronico Anonymi, quod in eodem Codice principem habet locum, inter cetera haec notatu digna memorantur: *Antonius, filius Thomae Ser Rainerii de Boscia de Cortona, Florentiae venenatus extitit sub annis Domini MCCCCXXX. quia ex eius nimia auctoritate penes populum Cortonensem timebant, ne ipse conficeret aliquid, & faceret se Principem Cortonae: propter quam indignationem Mannus* (de quo paullo post) *Ioannis Thomae, ac praedicti Nicolaus, Thomas, & Franciscus Fratres, olim filii Christophori Thomae praedicti eius Antoni patrueles, fecerunt conspirationem contra Florentinos, volentes Cortonam tradere in manibus Nicolai Piccinini Perusini sub annis Domini MCCCCXXXX.*

Quod pertinet ad memomoratum *Mannum*, adnotatum est, quod vario modo a tribus Historiographis Cortonensibus nominatur. Ab Anonymo, cuius textum supra adtulimus, dicitur *Mannus Ioannis*; a Civanello *Mannus Matthaei, Ioannis*: at a D. Rainaldo *Matthaeus Ioannis* adpellatur. Ex Historicorum locis in eodem Codice adlatis, ac probe observatis, com-

per-

pertum eſt, eam coniurationem factam fuiſſe peractis annis decem, poſtquam Antonius morte defunctus eſt; quare probabilius videtur eidem coniurationi patrandae interfuiſſe potius *Matthaeum Ioannis*, *Antonii* nepotem veneno exſtincti, quam *Mannum* Matthaei Ioannis ſuperius memorati, qui fuiſſet filius nepotis ex fratre; adeoque eo tempore tam parvae aetatis exſtitiſſet *Mannus*; ut vix concipi poſſit rebellionis auctor, & princeps, & mentem tantae molis, & criminis perpetrandi capacem habuiſſe.

Idem facinus in altero Chronico perparvo eiuſdem Codicis his verbis memoratum eſt a *Civanello* Vannis, Simonis, Bencivennis, *de Buccanigris*, e Villa, ſive Pago Monſilioli Cortonenſis Agri: *Adì 16. di Iunio* 1440. *venne a campo a Cortona Niccolò Piccinino: poſeſi all' Oſſaia con tre mila cavalli, e molti pedoni, & era il trattato in Cortona ec. ci era Manno di Matteo, di Giovanni, di Tommaſo, di Ser Cecco della Boſcia con molti altri della Caſa.*

Adcedit etiam teſtis alter *D. Rinaldus Marci filius*, e nobiliſſima Baldelliorum Familia Cortonenſi, quae in patria urbe, & alibi praeclariſſima eſt. Ita igitur inquit: *Adì* 15. *di Giugno* 1440. *in Giovedì, venne a campo a Cortona Niccolò Piccinino con ſei mila cavalli e fanterie, e accampoſſe all' Oſſaia; e venne il primo dì appreſſo porta Peccio Grande, cioè fuor del Borgo, & aveva il trattato dentro in Cortona; e doveano entrare a Porta Cole-*

lonia dando la battaglia al Borgo di S. Vincenzio ; faceva il trattato Matteo di Giovanni di Tommaso, e certi altri di Casa.


Quae heic *Ossaia*, sive *Ossuaria* dicitur, locus est agri inter Cortonam urbem, & Thrasimenum lacum, Romanorum clade memorabilis, quam ab Hannibalis exercitu acceperunt. Feralia cruentissimi ac teterrimi proelii nomina ad haec ipsa tempora memorantur, adpellanturque *Sanguinetum*, *Vallis proelii*, *Sepultuaria*, *Caesi*, *Ossaria*, de quibus vide Part. II. pag. 368. Inscriptionum ant. Etruriae Vrbium quas in lucem protuli.

De Itinere eiusdem Hannibalis, quod instituit susceptique, ut se ad Thrasimenum conferret, nuper omnium accuratissime disseruit [1] vir nobilitate atque exquisita eruditione Clarissimus, Laurentius Eques Guazzesius, Patr. Arretinus, Socius Acad. Etruscae et Columbariae ; iterumque rem acu tangit altero Volumine, quod nunc Arretinis typis excuditur. Eius recensioni et perspicuis rationibus adquiesco, praesertim quod Hannibal nunquam ferro flammaque Vrbem Cortonam exsciderit ; sed potius prope eam finitimos Pagos, grassante belli immanitate, vastarit ; quod magis magisque mox etiam clarescet.

Ex laudatis Historicis Cortonensibus eruitur sequens Stirpis Genealogicae huiusce nobilissimae Familiae Cortonensis *del Boscia* Schema, ab ipsis eruditissimis Academicis Etruscis ita concinnatum ex memoratis Chronicis.

M Rai-

(1) *Vid. Vol. VI. Dissertat. Acad. Etr. Corton.*



Ex hiſce nobiliſſimae Gentis Viris originem habent plures *Thommaſiorum* Familiae, inter quas quinque adhuc Cortonae vigent: ex quibus inſignes cum armis, tum litteris Viri prodiere, & prodeunt; quorum laudes, & nomina, ſi narrarem, nimius eſſem.

E Codice Sellariano, quoniam nondum edita Epiſtola *Alberti Sartianenſis* mox deprometur, adferre lubet, quae in hoc ipſo Volumine Noctium Corythanarum iidem Academici Etruſci, patrio ut ſolent ſermone, adnotandum cenſuere. *Giacchè qui ſi riporta una Lettera del ſopradetto Alberto, conviene oſservare un fatto*

mol-

molto particolare del medeſimo, ſeguito in Cortona, già riportato dal Celebre Wadingo. Paſſando per queſta Città nel 1441. *il detto Alberto per andare a Firenze, dove il Papa Eugenio IV. aveva adunato il Concilio; vollero i Cortoneſi andare all' incontro d' un così illuſtre Perſonaggio: fra gli altri ancora vi andò Bernardino da Siena, che fu poi ſantificato per le ſue eroiche virtù; e ſiccome era ſtato quì molto tempo ammalato, ſtimò bene di andare a queſt' incontro ſopra un' aſinello. S' incontrò il medeſimo appunto avanti la Chieſa del Monaſtero delle Monache detto* delle Conteſſe *(perchè ſono Padrone della Contea di Monte Maggio) quando arrivò il detto Alberto, il quale fu di poi beatificato, ec. Subito, che ſentì Bernardino da Siena molte acclamazioni fatte al ſopraddetto Alberto del popolo Cortonenſe, ſe gli accoſtò, e diſſegli ad alta voce* „ Alberto penſa al tuo principio, e che devi morire, e „ guarda bene, che tanti onori, che ti vengono reſi, non ti facciano inſuperbire. *Alle quali parole ſubito ſceſe da cavallo, ed andò immediatamente Alberto ſuddetto ad abbracciare il religioſiſſimo Padre Bernardino, con eſibirli il proprio cavallo; ma non volle accettarlo, dicendogli* „ che ognuno doveva anda„ re, come gli conveniva; ma che dovevaſi „ ſtare guardinghi, acciocchè la vanagloria non „ faceſſe perdere il merito dell' opere buone „ fatte a gloria di Dio, e ad eſaltazione del„ la ſua Chieſa: „ *alle quali parole replicò Alberto*: „ a tutti gli onori, che mi ſono ſtati

„ resi, sempre ho internamente detto: *Non*
„ *nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da*
„ *gloriam.*

Acciocchè di questo insigne fatto rimanesse la memoria ai posteri, fu subito da' Cortonesi ordinato, che nel detto logo si fabbricasse una piccola Cappella, nella quale si dipingesse da perito Artefice questo fatto, come fu eseguito; di modo che fino ai giorni nostri si è osservata dagli Eruditi questa memoria: ed ancora si potrebbero tali Pitture vedere, se le sopraddette Monache, oppure i loro ignoranti Fattori, non avessero nel 1737. *distrutta da fondamenti colla Cappella ancora questa stimabilissima memoria, col solo motivo di accrescere la piazza avanti la facciata principale della loro Chiesa.*



CA-

CAPVT XIV.

MONVMENTA EXTERNA HISTORICA ET PHILOLOGICA E CODICE SELLARIANO NVNC PRIMVM EDITA.

STatueram, antequam hoc Florilegium excuderetur, hoc ipſo Capite in lucem proferre adhuc latentes, luce plane dignas, gemmas aliquot pulcherrimas, quas nobis ſervavit eximius Codex Sellarianus, ut monuimus, ſaeculo decimoquincto exaratus. Sed ne praeſcriptos a Typographo fines praetergrederer; coactus ſum iisdem alteram huius Voluminis Partem ornare ac locupletare. Primum in ea adferentur Hiſtorica Monumenta, inter quae principem locum obtinebit *Epiſtola Hiſtorica* Celeberrimi *Kyriaci Anconitani de Bello inter Genuenſes, & Regem Aragonium*, quae ad hoc tempus delituit ignota; & continet complura tum notatu, tum doctorum hominum conſpectu digna. Deinde ſequentur ſelectae quaedam *Principum Virorum Orationes*, quae multum lucis Hiſtoriae ſequioris aevi conferunt.

Servato quodam ordine, mox adferentur Clarorum Virorum Epiſtolae, qui Saeculo XV. floruerunt, luce profecto dignae, quam nondum adſpexerunt. Inter has plures habentur immortalis viri *Leonardi Arretini*, *Franciſci Scala-*

montii Equitis , & aliorum Virorum praeclari nominis. Si locus erit, adiieciemus etiam Selecta quaedam Poemata egregiorum Poetarum Cortonensium, qui eximia eiusdem aetatis ornamenta fuere: nimirum *Ioannis Baptistae Madulii*, & *Gregorii Tiphernii*. Addentur etiam *Epitaphia* quaedam magis insignia; antea nunquam edita, quae ad illustrandam Historiam fulgidam facem praeseferunt, & brevitate ipsa multa continent Eruditorum animadversionibus digna. Perlubet tamen heic duo memoranda *Epitaphia Historica* adferre ex laudato Sellariano Codice, nunquam antea; quod sciam; prolata; ne hoc ipsum caput observationibus vacuum dimittam. Primum pertinet ad Magnum *Nicolaum Acciaiolum*, tum Ecclesiae Carthusiae Florentinae, tum Monasterii Fundatorem magnificentissimum. En illud ipsum ita in hoc Codice scriptum, emendandum tamen iuxta archetypum.

Gloria militiae mansuraque Fama suorum
Quae offensis alta infundens oblivia laesus
Fidus consiliis & ferro in bella tremendus
Eloquioque potens magnumque clara Loygi
Regna Senescalcum videre hinc Trinachis illinc
Inclita Ierusalem xpi veneranda Sepulcro
Quem tulisse parens gaudet Florentia Civem
Hic Acciaiolum celebri de stirpe creatus
Surcophago clausus cineres Nicola reliquit
Huius & Ecclesiae fundator liber Olympum
Mente petit xpi post annos mille trecentos
Ac sex undecies octava luce Novembris

Epi-

Epitaphium Iohannis Papae XXIII.

Ecclesiae summus Pastor. qui praefuit olim
Nomine vigesimus. tunc tertius ipse Ioannes
Et renuit qui sponte sua mirabile dictu
Papatum: quo pax sequeretur & unio sancta
Quam dedit ipse quidem sublato schismate nequam
Laudes unde sibi renuens & postea cetu
Cardineo Florentino cognomine dictus
Ingenti zelo hac moritur feliciter urbe
Baptiste digitum munus praegrande relinquens
Huic Templo, cui iam magnum concesserat ipse
Indultum iacet; hic Baldassar Napolitanus
Cossa suis meritis cui egit R. P. funus.

Quia ut, superius monuimus pag. 38. aereus numus *Borsii Ferrariae Ducis*, ut observationibus inlustraretur; occasionem dedit Ornatissimo Viro Reginaldo Sellario, ut monumenta quaedam ad eum pertinentia ex sua Bibliotheca depromeret, eadem in Nocte Coryth. XL. accurate descripta, hoc loci ea adferenda esse censui, ut huic Capiti coronidem imponerem. Ea igitur nondum edita ita se habent:

Borsius Dux.

„ Mutine, & Regii Marchio Esten. Rodigii-
„ que Comes &c. Superioribus annis, ut bonus
„ Princeps, & Dominus, ad quem precipue cu-
„ ra pupillorum, & orphanorum spectat, &
„ pertinet; deliberavimus ex certa scientia, &

„ causa cognita , quod *Nicolosia* filia *Antonii de Nicolosiis* de Civitate nostra Regii
„ tunc orphana, & pupilla, pro suo honore;
„ & bono proprio poneretur in domum egregii, & praestantis Legum Doctoris *Domini Simonis de la Turricella*, Civis etiam nostri Regiensis ; ut penes eum , & in domo eius sic
„ teneretur, gubernaretur ; & tractaretur diligenter, & probe cum intentione , & proposito, ut tempore congruo , & debito fieret sponsa, & legitima uxor filii maioris natu ipsius Domini Simonis , prout ; & sicut
„ sic, vel aliter uberius continetur in Decreto nostro solemni, quod super inde fieri fecimus, & quod habeatur hic pro inserto, &
„ reperto, & cum ipso Decreto opposuerimus
„ gravissimas penas omnibus his ; qui illi nostre deliberationi aliquo modo auderent contrafacere , vel venire . Et ipsa Nicolosia nuperrime, omnibus sue subiectionis, et fidei
„ confractis habenis, de domo, ubi erat, et sine conscientia, aut voluntate dicti Domini
„ Simonis discesserit, et contra mandatum, et
„ Decretum nostrum animo, et intentione contrafaciendi deliberationi nostre premisse , et
„ ad nostram iniuriam, et offensam, quam audaciam, et inobedientiam reputamus, ad indignationem , dedecus, preiuditium , et iacturam, sicuti faceremus, si quum quem quis
„ crimen rebellionis incurreret contra nos, et
„ statum nostrum, et felloniam adversus nos
„ notissimam et manifestam committeret. Propterea ne ipsa posset de huiusmodi sua tam gra-

„ gravi culpa gloriari , et ut ceteris transeat
„ in exemplum, tenore presentium patentium
„ nostrarum literarum declaramus expresse ob
„ dictam causam, et alias etiam in pectore no-
„ stro residentes, eam Nicolosiam nostram indi-
„ gnationem incurrisse, non secus ac si in sta-
„ tum nostrum, et status nostri, nostreque ma-
„ iestatis gravissimum preiudicium attentasset;
„ quicquid autem commisisset, et proinde om-
„ nia eius bona mobilia, et immobilia, iura, et
„ actiones; ac nomina debitorum quocunque
„ censeantur iure, vel nomine, seu quoquo modo
„ censeri, et dici possent ubicunque existentia,
„ et presertim in urbe nostra Regii, superque
„ eius districtu, comitatu territorio, et Ducatu
„ publicamus, et Camere nostre confiscamus,
„ pubblicataque, et confiscata sic esse declara-
„ mus per presentes, et devolvimus ex certa
„ animi scientia, et bona deliberatione preambula.
„ Et ut hoc nostrum iustum iudicium, debita non
„ careat executione, mandamus Massario nostro
„ Regii, quatenus omnia bona mobilia, &
„ immobilia; ac iura, actiones, & nomina de-
„ bitorum dicte Nicolose, et Rebellis nostre
„ publicata, & confiscata; & presertim omni
„ studio, omnique diligentia clare, & destin-
„ te describi facere curet, quae nostre Came-
„ re incorporet, quae nihilominus pro solem-
„ niter descriptis, & incorporatis, ac appli-
„ catis Camere nostre ex nunc haberi volumus,
„ & intelligi quoad perfecte confiscationis, &
„ acquisitionis effectum. Et de ipsis ammodo
„ faciat, & disponat quemadmodum de aliis
bo-

„ bonis noſtris; et ad Cameram noſtram ſpe-
„ ctantibus, et ſolemniter incorporatis facit,
„ et facere poteſt: nec non preſens noſtrum
„ Decretum regiſtrari autentice faciat ad illam
„ Cameram noſtram Regii. Datum in Palatio
„ noſtro Belreguardi Anno Dominice Nativi-
„ tatis Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo
„ quarto; indictione duodecima; die decimo Fe-
„ bruarii.

Borſius Dux.

„ Mutine, et Regii Marchio Eſtenſis, Ro-
„ digiique Comes etc. Cum pridie omnia mo-
„ bilia, et immobilia, iura, et actiones, ac no-
„ mina debitorum ubique conſiſtant; *Nicoloſiae*
„ *filiae* Antoniii de Nicoloſiis de civitate no-
„ ſtra Regii publicaverimus, et confiſcaverimus
„ Camere noſtre bonis, et rationabilibus re-
„ ſpectibus ducti, ſicuti conſtat per decretum
„ noſtrum ſupraſcriptum confectum; et prout
„ in eo dicitur contineri. Cumque nobis iu-
„ ſtum, et equum viſum fuerit, quod egregius,
„ et preſtans Legum Doctor Dominus Simon
„ de la Turricella civis noſter Regienſis di-
„ lectiſſimus conſequatur ea omnia bona iu-
„ ra, & actiones non ſolum pro intereſſe
„ ſuo, quod rationabiliter habet, & habere
„ poteſt, & debet in ea que pro noſtra bene-
„ volentia in eum; & pro noſtra liberalita-
„ te, et munificentia; propterea tenore pre-
„ ſentium noſtrarum patentium litterarum ea
„ cauſa accedente; & motu noſtro proprio ti-
tu-

„ tulo pure ſimplicis, & inrevocabilis donatio-
„ nis inter vivos quae nulla cauſa poſſit re-
„ vocari, damus, tradimus, & donamus ipſi
„ Domino Simoni ipſá omnia bona, iura, &
„ actiones ac nomina debitorum, qui fuerunt
„ dicte Nicoloſiae, & que applicavimus, & de-
„ volvimus Camere noſtre. Et hoc cum, introiti-
„ bus, & coherentiis, et cum omnibus, & ſingu-
„ lis ad ea, & quelibet ipſorum bonorum iurium,
„ & actionum ſpectantibus, & pertinentibus.
„ et cum licentia, ſua auctoritate propria ca-
„ piendi, intrandi, ſtandi & aprehendendi te-
„ nutam, & corporalem poſſeſſionem eorum:
„ ad habendum, tenendum, & poſſidendum,
„ uſufructuandum, vendendum, & alienandum
„ & quicquid ſibi, & ſuis haeredibus de eis
„ placuerit proprie faciendum. Dantes, ceden-
„ tes, transferentes, eidem Domino Simoni
„ virtute huius noſtri Decreti omnia iura, &
„ actiones reales, & perſonales, utiles, & di-
„ rectas, tacitas, & expreſſas, ſeu mixtas,
„ que, & quas nos, & Camera noſtra habe-
„ mus, & ſperamus habere in dictis bonis,
„ & rebus, ſeu habere ſperaremus, atque
„ poſſemus quomodocumque, & qualitercum-
„ que, & ponentes predictum Dominum Si-
„ monem in locum noſtrum, & Camere no-
„ ſtre, eum ut in res noſtras, procuratorem
„ coſtituimus, ut omnimodo ipſe poſſit ſuo
„ nomine proprio agere, experiri, excipere,
„ replicare, defendere, conſequi, et ſe tue-
„ ri: et alia omnia, et ſingula facere, et
„ exercere actionibus utilibus, et directis, ta-
ci-

„ citis, et expressis, sive mixtis, quemadmo-
„ dum nos possemus, et Camera nostra posset,
„ ac potuissemus, et potuisset ante presentem
„ donationem. Quam donationem, et omnia
„ et singula supralcripta harum vigore promit-
„ timus firma, et rata proprio nomine habe-
„ re, tenere, et in aliquo non contrafacere,
„ vel venire quovis modo, ratione, vel causa
„ quae dici, vel excogitari possit sub fide bo-
„ ni, et legalis Principis, et obligatione bo-
„ norum nostrorum presentium & futurorum.
„ Ad quorum fidem, et robur presens Decre-
„ tum fieri iussimus, et registrari, et nostri Du-
„ calis Sigilli impressione muniri. Datum in
„ Palatio nostro Belreguardi anno Dominice
„ Nativitatis Millesimo quadingentesimo sexa-
„ gesimo quarto Indictione XII., die duodeci-
„ mo Februarii.

Borsius Dux.

„ Dilectissime Vir. Non chel se habia veduto
„ ma el debba mo hanco essere exequito: la
„ confiscazione havemo facto de li beni de
„ quella Fiola fui de Antonio de Nicolosi, e
„ la qual più anni fa deliberassimo all' Egre-
„ gio Dottore de Legge Messer Simone de la
„ Turricella nostro Cittadino la oltra per Spoxa,
„ e Moglia del suo figliuolo Magiore: et abene
„ che quella nostra patente confiscazione sia fa-
„ cta motu propio, et anche iustificata con
„ molta ragione, et cagione; pur a maggior
„ dichiaramento, e a più cautela, e più effica-
ce

„ ce gionta, ſtatuimus, ordinavimus, et decrevi-
„ mus vigore harum noſtrarum litterarum,
„ quas vim Decreti, & vim proprie legis habere
„ volumus, & mandamus, cauſas confiſcationis
„ ipſorum bonorum, iurium, & actionum, ac
„ nominum debitorum ſpecificatas in ipſo no-
„ ſtro Decreto publicationis fuiſſe, & eſ-
„ ſe idoneas, iuſtas, legitimas, & iuridi-
„ cas, ipſamque confiſcationem perpetuam ro-
„ boris firmitatem habere, & tenere ſemper
„ & omni tempore etiam Caeſarea auctoritate
„ nullique nunquam liceat huic noſtre termi-
„ nationi contraire, vel adverſus ipſam facere
„ vel aliquo modo, via, vel ingenio contradi-
„ cere ſub poena indigationis noſtre aliaque
„ qualibet graviſſima, arbitrio noſtro, & ſuc-
„ ceſſorum noſtrorum imponenda, et Camere
„ noſtre applicanda: et hoc etiam de plenitu-
„ dine noſtre poteſtatis, et motu proprio, non
„ obſtantibus aliquibus iuribus communibus,
„ vel municipalibus facientibus in contrarium
„ quomodocumque, et qualitercumque, qui-
„ bus ex certa ſcientia, et reſpectu premiſſo-
„ rum derogamus, et derogatum eſſe volumus,
„ et mandamus expreſſe. Et has noſtras illic ad
„ libros Camere regiſtrari autentice facias ad
„ ſupplementum, et memoriam.

CAPVT XV.

ADNOTATIONES ADDITAMENTA ET EMENDATIONES NONNVLLAE.

SIGILLORVM aereorum medii aevi, quibus maiores noſtri uſi ſunt, deſcriptionem protuli Cap. VIII. pag. 75. exordio ab his facto, quae in Volum. VI. Noctium Corythanarum exponuntur; quorum primum incipit a numero XXXIV. Sed quum poſtea, ut hoc Hiſtoriae Diplomaticae caput eſſet abſolutiſſimum, conſultius viſum fuerit non dimidiatam, ſed integram SIGILLORVM obſignatoriorum CENTVRIAM publico Eruditorum bono proferre; idcirco in hoc poſtremo Capite ea, quae a numero primo uſque ad ipſum numerum XXXIV. praecedunt, quae quidem in ſuperioribus Voluminibus Noctium Corythanarum ab iisdem Academicis Etruſcis deſcripta multiſque Obſervationibus diligenter atque erudite inluſtrata ſunt a Cl. V. Reginaldo Sellario, qui eas mihi legendas humaniſſime obtulit, hoc loci libuit recenſere.

SIGILLVM I.

S. VGVCII DNI GVILLINI MILITIS IPER CORTONE*ſis*. Argenteum eſt, et figurae

rae sphaericae hoc insigne Sigillum, quod in suis Cimeliis servat Ill. D. Abbas Philippus Alticotius, Canonicus et Patricius Cortonensis A. E. Sculptum in eo est gentilitium Casalalium Familiae nobilissimae stemma, tribus cum digmatis, quae undas referunt. His imminet Leo animal, S. Marci Evangelistae hieroglyphicus typus, quod volumen tenet; plane pervetustum Vrbis Cortonae insigne, quod ad haec usque tempora perennat. Hinc inde spectantur duae Aquilae volantibus similes; quae declarant Henricum VII. Imperatorem Augustum eidem Vrbi pro insigni dedisse Aquilam nigram. Circa stemma, sive clypeum ipsum descriptum, in angulis dracones, longe vetustius Vrbis Cortonae insigne, sculpti cernuntur. Siquidem hoc praetermisso, quum anno MCCLXI. Cortonenses Patronum suum esse decrevissent S. Marcum Evangelistam, Leonem eius typum sacrum acceperunt. Descriptum Vol. I. N. C. pag. 68.

II.

LVCRETIA D. AVSTRIA DI CORR.o PIA. *Sigillum argenteum ovalis figurae, inter Cimelia prelaudati Canonici, ibidem.* Scutum bifariam divisum per longum. Dextrorsum Stemma Domus Austriae: superne Aquila, expansis alis, capite coronato; circa quam duo leones repentes coronati. Sinistrorsum superne Aquila, sub qua aliud stemma quadrifariam partitum. Regia corona totum scutum ornat.

Domina Lucretia ab Austria patrem habuit Do-

Dominum Camillum Coregii Principem. Nupsit Domino Rodulpho Pio Meldolae et Sarsinae Dynaſtae. Eadem Princeps Cortonam advenit anno MDCXII. et hoſpes manſit in Domo Ill. D. Mutii Angellierii Alticotii annis circiter XXV. uſque ad obitum ſuum, qui contigit Septembri menſe anno MDCXXXVII. Iuſtis perſolutis, condita eſt in avito Sepulchro eorumdem DD. Angellieriorum Alticotiorum in Aede S. Margharitae Cortonenſis. Teſtamento eidem Familiae nobiliſſimae reliquit locupletem Abbatiam, et opulenta quaedam legata. Generoſae eiusdem Principis Familiae multa ad Hiſtoriam inluſtrandam congeſſit idem Abbas Philippus Alticotius; multa quoque tum de ea, tum de eius filia Domina Maria Pia Sphortia, Fiani Duciſſa; quae optamus ut publica luce donentur. Deſcriptum ibidem pag. 68.

III.

S. SIS. TVTOR. CORTONAE. CIVITATIS. MARCE PATRONE. *Pertinet hoc Sigillum aereum ad Cortonam, pag.* 141. Leo S. Marci Evangeliſtae, ut diximus, ſymbolum ſacrum, tenens volumen, in quo ſcriptum S. M. hoc eſt: *Sanctus Marcus* deſcr. ibid. pag. 142.

IV.

SANCTE TVTOR CORTONAE SIS SEMPER MARCE PATRONE. Idem typus, ut ſupra; et hoc Sigillum iuris eſt Communis Cortonae; deſcript. ibidem.

S. TV-

V.

S'. TVTŌ CŌTONE SIS SĒP MĀCE PATRONE. Figura rotunda. Sigillum hoc Academiae Etrufcae dono dedit Cl. Marchio et Eques Nic. Marcellus Venutus A. E. quod inluftravit Cl. Mannius Sigill. Tom. VI. pag. 9. Defcribitur in Volum. I. Noct. Cory. pag. 143.

VI.

IOANNES SERNINVS EP̄S CORTONENSIS. *Defcriptum in Vol. II. Noct. Cory. pag. 28. & 42. pertinet ad Nob. V. Ioannem Hieronymum Serninium Equit. Hierofol. Corton. A. E.* Sex monticulis infiftunt duo canes, qui fe tangunt anterioribus pedibus.

VII.

S. CACCIA. DN̄I. RAINALDI. *Figura rotunda; defcriptum Vol. II. pag. 200. ex Cimeliis Sellarianis.* Infigne eft Gryphs. Praelaudatus Sellarius multa de Familia nobiliffima Dominorum Cacciae, feu Cacciaguerrae in fuis Obfervationibus adnotat ex Codice Serniniano, in quo plura parva Chronica adferuntur pag. 19. in quo etiam inter eos, qui anno MCCCVII. recenfentur, nominatur *Bocculus Domini Caccie, five Cacciaguerrae Domini Rainaldi de Saepoltalia*; et Genealogicam Arborem adtexit. Deinde ad alia notatu digna gradum faciens, oftendit ab eadem Familia *Cacciae*, quae etiam *Cacciaguerra* dicta eft, originem ducere gene-

ris splendore ornatissimam Domum Dominorum de Cattanis, quae etiam nunc apud Cortonenses magnopere floret. Descriptum ibidem pag. 220.

VIII.

S. FORTE PVCCI. *Figura rotunda ex argento :* in quo inserta est antiqua Carneola, sive Sarda Gemma, quae Militem, seu Heroem aliquem inscalptum exhibet; qui dextra hastam tenet, sinistra clypeo innixa. Descriptum pag. 4. Vol. III.

IX.

S. NVTI DNI RAGNERI. Descriptum ibidem pag. 7. Cl. Sellarius dono dedit Academiae Cortonensi. Spectantur fasciae undulatae orizontales, ut in Insigni Gentis Casalium; superne vero *duo conchylia*; infra vero sculpta duo hircina capita. Descriptum in eodem Vol. III. pag. 7.

X.

S. GVILIELMINI. DNI. VGVICII. D CSLI. hoc est : *Sigillum Gulielmini Domini Vguccii de Casalibus.* Stemma *Familiae Casalium* alibi descriptum. Ex Cimeliis Ill. Hieronymi de Bonis Patr. Cort. A. E. Ibidem descriptum Vol. III. pag. 7.

XI.

S. NICOLAI DE VBRIACHIS. Fig. rot. In utraque parte Sigilli idem Typus, nempe *ser-*

an-

ser. Ea eſt clara apud Florentinos Proceres Familia. Deſcriptum ibidem pag. 8. ex Cimeliis Sellarianis.

XII.

ANT MENECVCC DE MONTE EPVS NEPES EF SVTRIN. Hoc eſt: *Antonius Menecuccius de Monte, Epiſcopus Nepeſinus, & Sutrinus*. Fig. rot. *Deſcriptum ibidem, ex Cimeliis Sellarianis*. Stemma *magnum lilium cum ſuis radicibus*; ſupra vero cernitur ſtemma Iulii III. Papae. Hic Antonius Nepeſinus et Sutrinus Epiſcopus renunciatus eſt die tertia Iulii anno MDLIII. Obiit die ſecunda Septembris anno MDLVI. ſepultus in Eccleſia Cathedrali Nepeſina, de quo Vghellius Ital. Sacr. Tom. I. pag. 1107. notandum tamen quod ab eo vocatur *Antonius Simeonis*, non vero *Antonius Menecuccius*. Deſcriptum ibid. pag. 8.

XIII.

S. COM. ACHINOLF. PET... COMS. D' MANCHONE. Hoc eſt: *S. Comitis Achinolfi Petri Comitis de Manchone*. Sigillum in cera impreſſum, quod ex Diplomate pendet. Scutum conſtat tribus faſciis; ſuperne vero poſita Crux. Ibidem decſriptum pag. 9. in eodem Vol. III.

Quae ſequuntur quatuor Sigilla celeberrimorum Iuriſconſultorum ex ectypis cereis deſcripta ſunt ab Academicis Etruſcis, curante Cl. I. C. Reginaldo Sellario, qui omnem dat operam, ut quotquot invenire poteſt inſignium Legum Doctorum manu conſcripta Conſilia in

ſua Sylloge ordinatum locum habeant, atque ita ab oblivione, & tenebris ſumma cum laude ea eruit.

Haec vero cerea Sphragiſmata, nec non accurate delineata eorum Schemata oſtendit A. E. Illuſtriſs. Dom. Hieronymus Velluti Nobilis Cortonenſis, & Academicis eadem Schemata donavit, quae in praelaudato Volumine Noct. Coryth. deſcribuntur. Conſilia vero eorumdem Legum Doctorum autographa eidem Cl. Sellario Canonico Cortonenſi & I. C. ipſe dono dedit.

XIV.

S. D. MARIANI SOZINI SENENSIS IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS. Sigilli figura rotunda. Inſigne eſt *magna caſſis* (ut nos dicimus *Cimiero*) *cui inſtat aquila expanſis alis: ſub ea vero parvus clypeus, in quo leo repens*. Ex ectypo cereo, quo obſignatum eſt Conſilium Iuridicum eiusdem Sozini, qui ita propria manu in fine haec ſcripſit: *Ego Marianus Sozinus Senenſis, utriuſque Iuris Doctor, & Sacri Conſiſtorii Advocatus, ita in fidem ſubſcripſi, ſolitoque Sigillo ſubſignavi. Laus Deo Omnipotenti: ex Colle, propter peſtem*. Deſcriptum in Vol. III. A. E. pag. 11.

XV.

S. D. PETRI D. . . . , DOCTORIS LEGVM. Figura rotunda. Ex ectypo cereo impreſſo in fine Conſilii Iuris eiusdem D. Petri I. V. D. qui in fine ita ſubſcribit: *Ego Petrus*

de

de Terxio Legum Doctor, & Advocatus Florentinus &c. Insigne est magna cassis, sub qua scutum cum maxima stella, quae totum scutum implet. Quid nam vero supra cassidem sculptum sit, probe non dignoscitur, quod impressio valde labefactata sit. Descriptum in eodem Vol. III. pag. 11.

XVI.

S. IOHANNIS . . . . DE PRATO. Figura rotundum. Iohannes de Giambonibus Pratensis I. C. ita in fine subscribit: *Ego Iohannes de Prato Legum Doctor, Civis, & Advocatus minimus Florentinus consulo iuris esto, ut supra; ideo me subscripsi, & Sigillum feci Florentiae die VI. Februarii MCCCC. trigesimo octavo. Laus Deo.* Pro insigni conspicitur Bos repens tantum in clypeo sculptus. Descriptum ibidem.

XVII.

S. D. GVGLIEL. . . . . . OLI LEGVM DOCTORIS. Sigilli figura rotunda. Ex hoc Sigilli cereo sphragismate discimus, quod interdum filius utebatur Sigillo patris; nam sub eodem Sigillo haec legitur subscriptio: *Et ita ego Salustius Dom. Guillelmi de Bonguglielmis de Perusio, & ad fidem me subscripsi, & consuetum Sigillum apponi mandavi.* Cernitur in hoc Sigillo Gulielmus de Bonguglielmis Legum Doctor sedens, Doctoris vestibus ornatus, qui Volumen legit impositum scamnulo lectorio. Post eius humeros sculptum est parvum scutum, in

quo quid pro insigni expressum sit ob eius exiguitatem non dignoscitur. Descriptum ibidem. Consilia huius inlustris Iurisconsulti autographa exstant Florentiae in Bibliotheca & Museo Ornatissimi ac Nobilissimi Viri D. Abbatis Francisci de Oricellariis, Socii Columbarii Florentini, qui eximium hunc Codicem servat a suis Maioribus multa impensa comparatum; quem amicum optimum honoris caussà nominatum volui.

Scriptum atque absolutum est ingens hoc Volumen Florentiae die XVI. Augusti ann. MCCCCXLVII. In prima Littera A *Repertorii Iuridici* picta est imago eiusdem I. C. *Sallustii de Bonguglielmis*, qui decoratur insignibus, & vestibus Doctoris & Magistri: infra cernitur scutum gentilitium bifariam divisum; a dextris quinque rastra transversim ducta depicta in area rubra; a sinistris duo astra aurea in area caerulea spectantur. Exscripsit Codicem eiusdem Sallustii Doctoris egregii Discipulus eius Alexander *de Longari* Perusinus.

XVIII.

S. LOCTINGI BRVNECTI. Descriptum in eodem Vol. pag. 23. Exstat penes laudatum Cl. V. de Bonis.

XIX.

S. ECELINI DE MEZZANO Typus: *Leo adrepens*. Penes eumdem. Descriptum ibidem pag. 43.

S. VAN-

XX.

S. VANNI BENTI. Typus: *animal cum fascia transversa in area*. Descriptum ibidem; penes eumdem.

XXI.

S. LIVTII DE VALBONA. Figura rotunda. Ex Cimeliis Stoschianis. Descriptum pag. 59. Vol. III.

XXII.

S. FRANCISCANOR. In clypeo sunt *tres flocculi*, sive *tria ex funiculis cingula*. Descriptum ibidem pag. 61.

XXIII.

S. MERCATORVM DE PORTO DE TVNISI. *Fig. rot.* Typus *Homo equo vectus*. Descriptum pag. 72. Dono datum Academ. Etr. a Cl. Marchione Venuto.

XXIV.

S. IOHIS ARCHIPR. CLVSINI. *Fig. oval.* Sacerdos stans casula indutus; manibus Evangeliorum sacrum Volumen tenet. Descriptum pag. 126. eiusdem Vol. III. Ex Cimeliis Sellarianis.

XXV.

S. ARTIS MOLENDINARIORVM. Fig. rot. Scuti insignia, *cribratorium*, *sive vannus super molam frumentariam*. Exstat in Collectione Sigillorum Academiae Etr. Cort. cui dono de-

dit praelaudatus Marchio & Eques Venutus; qui prope duo molendina invenit iuxta Villam suam valde magnificam, atque multis elegantiae ornamentis ac deliciis locupletatam, quae a Catros loco, *Catrosiana* dicitur. Hanc egregie delineatam aereae Tabulae incidit Marcus Tusckerus Norimbergensis A. E. & Soc. Columb. Flor. non uno nomine celeberrimus.

XXVI.

S. ILDEBRANDINI DEI GRA EPI ARETINI. Typus: *Episcopus stans Pontificalibus amictus indumentis cum mitra, dextra benedicens.* Descriptum in Vol. IV. pag. 211. Pertinet ad Vnionem Locorum Piorum Vrbis Cortonae.

XXVII.

SIGILLO . CONGHRACIONE . SANTE. PAVOLE . PRIME . EREMITA . ISTRIA. Sculptus est (forsitan a Germanico Artifice vernaculae linguae Italae imperito) *S. Paulus Protoeremita, stans brachiis expansis; longe spectatur Crux Dominica cum titulo, in quo scriptum I. N. R. I.* (de quo V. C. Dominicus M. Mannius Commentarium scripsit, qui habitur in Vol. VIII. mearum Symbolarum) *sub titulo vero Corona spinea.* Hoc ipsum Sigillum nuper inventum est Florentiae dum Fisci publici & Carcerum Palatium Praetorium a fundamentis iam labefactatis restitueretur. Cl. Marchio Venutus Academiae Etruscae dono dedit. Descriptum in Vol. V. pag. 125.

ALES-

XXVIII.

ALESSIVS D' ALESIIS . POLITIANVS : I. V. DOR. h. e. *Alessius de Alessiis Politianus Iuris utriusque Doctor* . Fig. rot. Sigillum utrinque duplici typo sculptum ; in parvo tamen Siglae leguntur A. P. hoc est . *Alessius Politianus* . Insignis emblema est *tigris repens*, *ante palmam* . Ad hoc tempus floret nobilis Familia Alessiorum apud Politianenses . Descriptum in eodem Vol. V. pag. 125. dono datum Acad. Etrus. a Cl. Sellario .

XXIX.

S. PARTIS. GVELPH . DE . ARITIO . Emblema *Leo deambulans* : superne clypeus cum rastro & duobus liliis . Fig. rot. Descriptum ibidem pag. 127. ex Cimeliis Academiae Etruscae .

XXX.

S. PACHI . PCVRATOR . MILIZIE . S. LAZARI . IERLITANI . H. e. Sigillum Pachi s. *Paczi* , vel *Pachomii Procuratoris Militiae Sancti Lazari Hierosolymitani* . Fig. oval. scutum fascia sectum : superne *Agnus Dei* , *capite ornato nimbo crucigero* , *Crucem cum hasta gerens* . Sigilli area flosculis , & astris distincta . In medio fasciae turricula . Descriptum in eodem Vol. V. pag. 142. Ex Cimeliis Sellarianis .

XXXI.

S. MAGRI . IOHIS . DE . SCO . GERM . DNI . PP . SVBD . ET . NOT . H. e. *Sigil-*

lum

lum Magistri Iohannis de Sancto Germano, Domini Papae Subdiaconi & Notarii. Figur. ovalis. *Aquila S. Ioannis Evangelistae, capite circumdato nimbo; cui imminet stella; Aquila vero pede insistit supra clausum Volumen*. Descriptum ibidem. Ex Cimeliis Sellarianis.

XXXII.

S. BVONADOTA . RANALDI . Fig. rot. Typus *pes animalis*. Descriptum ibidem. Exstat inter Cimelia Sellariana.

XXXIII.

S. BARTOLOMEI . DE . CASALB'. GENRA . DNI . CORTON. H. e. *Sigillum Bartholomaei de Casalibus Generalis Domini Cortonae*. Fig. rot. scutum Familiae Casalium. Supra cassis cincta rosis, cuius apex desinit in caput canis. Descriptum in eodem Volum. V. pag. 159. Exstat in Museo Cl. Equitis Galeotti Coratii, Patricii Cort. Acad. Etr. & Columb.

Post haec eorum Sigillorum Descriptio continuatur, quae superius Cap. VIII. pag. 75. incipit; & adfertur.

Vetustos lapides omnes apud Cortonenses erutos, atque eos etiam, qui exstant in Museo Academicorum Etruscorum, nuper accurate ac perdiligenter exscripsit non semel laudatus Cl. Sellarius; qui autographum suum mihi ostendit, & exhibuit. Adlatam superius Inscriptionem Cap. IV. pag. 44. emendatiorem in hunc modum, uti scripta est, humaniter proposuit, quam iterum heic exscribendam esse censui.

D.M.

D . M
SACRVM
OSCIA . IRENE
PIA . VIXIT . AN
XXX . D . XX . POR
TVMIVS . POLY
TIMVS . VXORI
PIENTISSIMAE
FECIT . H . S . E
OIBQ . ILTS

Exploratum eſt ob incuriam quadratariorum perſaepe E ita ſculptam ut I referat. Si igitur I ſcriptum eſt, notae ita exponendae *Oſſa illius bene quieſcant*. Muratorius haec ſingularia H.S.E O IBQ. TLIS *Hic ſita eſt omnibuſque titulis* explicat, atque ita ex Vignolio, qui primus omnium protulit pag. 238 inter Inſcriptiones ſelectas; ſed, ut videtur, rem acu non tetigerunt, & alienam interpretationem dederunt. Sed poſtrema ILIS non arbitror haec ſignificare; ſed potius, quia, ut opinor, marmor in poſtremo hoc verſu vel detritum, vel aliqua temporis labe tactum eſt, putarem explicandum eſſe *Illi levis terra ſit*; quod aliorum iudicio relinquo. Ceterum hoc ipſum marmor, quod altitudine aequat Romanum ped. I. lati-

latitudine vero fere uncias VI. utrinque ſculptum eſt; adeoque in altera parte hunc ſepulcralem titulum praefert:

D . M
VALERIAE
SABBATHIDI
P. AELIVS
HERON

Multa adnotat in hunc lapidem ex Romanis foeinis Cortonam advectum Clariſs. Io. Gaſpar Hugenbuchius, Academicus Etruſcus, & Socius Columbarius Florentinus, mihi amiciſſimum caput, dum Boethii Conſulis Diptychum Brixianum explicat in Epiſtola Epigraphica ad Principem Eminentiſs. Angelum Mariam QVIRINVM, Bibliothecarium S. R. E. Pontificem Brixienſem, pag. . . . . . ad quam Lectorem mitto. Hic Vir egregius ea quae ſcripſit ideo adnotavit, quia accuratiſſimum fecit omnium antiquarum Inſcriptionum, quotquot ad hoc tempus pervulgatae ſunt, Indicem; quem avide cupio, ut in lucem proferat; nam dum in eius forulis latet, ei tantum tam immenſus labor prodeſt, non vero univerſo litterario orbi. Si vero in eo edendo cunctatur, ſaltem omnium votis faciat ſatis, quod flagrantiſsime opto, Vir doctrina & probitate praeſtantiſſimus Io: Franc. Seguierius, Celeberrimi Scipionis Marchionis Maffei contubernalis digniſſimus, qui ad-

adſimile Herculeum Opus, ſupra quam dici poſſit utiliſſimum, paratum, ut nuper ſumma cum animi voluptate audivi, habet, ac facile ſe editurum bonam ſpem amicis meis nuper fecit.

Ad inluſtrandum Sigillum XLII. ſupra deſcriptum Cap. VIII. pag. 78. quod pertinet ad Capitulum inſignis Monaſterii Coltibonenſis S. Laurentii, Clariſſimi Ordinis Vallisumbroſae, adferenda nunc eſt Inſcriptio locata ſupra Portam Eccleſiae, quae ita ſe habet; licet heic ob paginae anguſtias verſuum lineae aliter diſpoſitae proferantur.

NOBILISSIMAE. RICASOLORVM. FAMILIAE
CVIVS. AVCTOR. HIEREMIAS. ILLE. PIVS
POTENS. LIBERALIS. QVI. IN. OPPIDO
SVO. MONTIS. GROSSVLI. ET. IN. ALIIS
COMPLVRIBVS. AB. ARNO. AD. ARBIAM
LATE. QVONDAM. DOMINABATVR
QVOD. EA. TEMPLVM. HOC
D. LAVRENTIO. M. SACRVM. A. MAIORIBVS
ET. ADGNATIS. SVIS. EXSTRVCTVM
ADPOSITASQ. AEDES. FVNDIS. CASTRIS
LARGISQ. OPIBVS. MAGNIFICE. AVCTAS
ET. AB. HVMBERTO. S. R. E. CARD.
IN. MONASTERIVM. CONSECRATAS
VALLISVMBROSAE. MONACHIS
SAEC. XI. DONO. DEDERIT. VT. PIIS
SVPPLICATIONIBVS. DEVM. SIBI

SVI.

SVISQ. PROPITIVM . REDDERENT
TANTAE . BENEFICENTIAE
PERVETVSTA . MONVMENTA
QVAE . ADHVC . INTEGRA
ADSERVANTVR . NE . PEREANT
HOC . INSCVLPTO . MARMORE . CAVTVM

Hinc rurſum clariſſime patet, quantam lucem ſibi adferant & mutuis praeſidiis patriam veterem Hiſtoriam inluſtrent, augeant, ornent tum antiqua Sigilla obſignatoria, tum etiam literis aeternitati conſignata monumenta, quibus haec ſtudia mirifice fulciuntur, & decorantur. RICASOLANI Proceres Florentini quancum ſuis opibus divinum cultum, favore bonas litteras, armis, & rebus domi foriſque praeclare geſtis nomen ſuum amplificaverint, tum hoc, tum alia monumenta clariſſime teſtantur.



ERRATA ita CORRIGENDA

Pag. 6.	v. 29.	vindicarent ,	vindicarent !
10.	v 21.	lucelenciora	luculentiora
18.	v. 21.	*Feeronius*	*Feronius*
10.	v 11.	*Fits-Jamer*	*Fits-Iames*
21.	v. 21.	Socii tui	Socii sui
---	v. 25.	Depthycha	Diptycha
26.	v. 1.	Acromata	Acroamata
---	v. 23.	Aretinus	Arietinus
107.	v. 27.	Rep Corton.	Reip. Corton.
134.	v. 5.	Litterarie	Litterariae

Alia, si quae sunt, menda typographica deleat ipse Lector humanissimus, bene & valeat vivatque feliciter.